AUTHOR:

STEINMANN, ADOLPH

TITLE:

DE PARTHIS AB HORATIO MEMORATIS ...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1898

Master Negative #

91-80298-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87HF
St3

Steinmann, Adolph, 1864-
De Parthis ab Horatio memoratis; quaestiones chronologicae. Dissertatio inauguralis philologica quam... publice defendet Adolphus Steinmann...
Berolini, Mayer, 1898.
46 p. $22\frac{1}{2}$ cm.

Bibliography, p. 45-46.
Thesis, Berlin, 1898.

39540

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-30-91 INITIALS M. B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0 9.0

Steinmann

De Parthis ab Horatio me-
moratis

De Parthis ab Horatio memoratis.

Quaestiones chronologicae.

Dissertatio inauguralis philologica
quam
consensu et auctoritate
amplissimi philosophorum ordinis
in
alma litterarum universitate Friderica Guilelma Berolinensi
ad summos in philosophia honores rite capessendos
die VIII. m. Junii a. MDCCCXCVIII
una cum sententiis controversis publice defendet

Adolphus Steinmann
Guestphalus.

Adversarii erunt
Casparus Florien stud. math.
Robertus Schlenke stud. iur.
Bernardus Vieler cand. phil.

Berolini
Mayer et Müller
1898.

Quaestio gravissima, quibus temporibus Horatius in variis artis suae operibus componendis occupatus fuerit, iam inde a saeculo decimo septimo a viris doctis tractata ne nostris quidem temporibus absoluta potest haberi. Quamquam enim Carolus Frankius in Fastis Horatianis anno 1839 editis cum sagacitate et diligentia errores permultos superiorum redarguit et plerisque viris doctis in summa quidem re verum investigasse visus est, tamen non desunt, qui non solum in nonnullorum carminum temporibus definiendis eum errasse, sed ne viam quidem, qua Horatius in perpolienda arte sua progressus sit, in omnibus recte perspexisse indicent. Inprimis, ut mittamus interpretes, qui in singulorum carminum temporibus statuendis ab eo discedunt, Guilelmus Christius in epicrisi quam fecit fastorum Horatianorum anno 1877 de editis tribus prioribus carminum libris et temporis spatio, quod intercesserit inter hos tres libros et epistolarum librum priorem compositum falso eum indicasse contendit. Et si quis investigare voluerit, quibusnam argumentis virorum doctorum dissensus potissimum nitatur, gravius repeti inveniet ex Parthorum rebus a poeta in illis carminibus, quae dubium movent, memoratis. Quare opus non inutile suscipere videmur quaestionem disceptantes, ad quae tempora Parthorum res ab Horatio memoratae pertineant. In qua re tamen monendum est, poetam saepius oratione minus distincta uti, non semel etiam res gestas augere, ita ut ex ipsis verbis certum indicium facere non liceat. Ne igitur specie nos abripi patiamur, alio certo fundamento, quo interpretatio nitatur, opus est. Recurramus enim necesse est ad alia certa indicia, quibus carmen, in quo verba per se dubia leguntur, certum sibi tempus vindicat. Occurrunt autem nonnulla carmina, quae eiusmodi indiciis

prorsus careant. Quod si acciderit non acquiescemus in eo, ut demonstremus, ambiguam esse poetae orationem, sed id potissimum nobis agendum esse putabimus, ut ostendamus, poetae verba, quibus Parthorum res depingit, non refragari iis temporibus, quibus singulos poematum Horatianorum libros compositos et editos esse ex aliis rationibus docemur. Quare de temporibus carminum Horatii in universum pauca praemittemus, non ita tamen ut huic quaestioni abunde satisfacere velimus, sed satis habebimus graviora argumenta indicasse. Praeterea antequam summam nostram quaestionem aggredimur brevem conspectum rerum Parthicarum, quas poeta tangit, praebebimus.

Horatius se iniquitate temporum, spe quam in Bruto posuerat irrita facta, patrimonio amisso ad versus faciendos impulsum esse ipse fatetur epistola ad Florum II 2, 49 sqq.: unde simul primum me dimisere Philippi, — decisis humilem pennis inopemque paterni — et laris et fundi paupertas impulit audax — ut versus facerem. Cuius generis fuerint carmina, ad quae pangenda fortuna adversa animoque exacerbato se convertebat, indicant libri primi carminis decimi sexti versus 22 sqq.: me quoque pectoris — temptavit in dulci iuventa — fervor et in celeres iambos — misit furentem. Quam mentis condicionem prodit aperte liber epodon h. e. iamborum quos poeta dicit. Ex temporum indiciis, quae in ipsis epodis observamus, poetam inde ab anno 713, cui epodon 16 attribuimus, usque ad annum 723 quem iambus primus et nonus sibi vindicant, in his carminibus componendis occupatum fuisse iudicamus. Haec carmina, quae primum singula innotuisse credibile est, postea a poeta ipso in corpus redacta et edita esse, docet epistola I 19, 23: Parios ego primus iambos — ostendi Latio nec non ipse carminum ordo, cum primum locum aptissime obtineat carmen plenum officii in Maecenatem, ultimum autem illud, quod deprecationem ad Canidiam continet. Quam sententiam etiam confirmat epodi decimi quarti v. 6: deus, deus nam

me vetat inceptos, olim promissum carmen, iambos — ad umbilicum adducere. Ex quibus verbis simul intellegitur, poetam editionem non properasse. Quantum autem temporis Horatius haec carmina, antequam ederet, scriniis presserit accurate definire non licet, nisi quod ante annum 731, quo tres priores carminum libri, ut infra dicemus, editi sunt, epodos collectos et emissos esse ex eo colligitur, quod libri primi carmina 4. 7. 28 epodon libro non sunt inserta. Haec enim carmina, quae epodon formam metricam prae se ferunt, in horum corpus recepisse putandus est poeta, nisi epodi iam antea collecti et in lucem editi fuissent.

Jisdem fere annis, quibus iambos scribebat, alteri quoque, si formam respicimus, poesis generi, eiusdem tamen ingenii Horatius vacabat, sermonibus dico seu satiris componendis. Cuius generis exstant duo libri, quos seorsim editos esse censemus, cum uterque prologo sit instructus, prior etiam epilogo. Et initium quidem in satiris scribendis poeta anno fere 715 fecisse videtur. Nam satira quinta libri prioris, qua iter Brundisinum vere anni 717 factum describit, eidem anno forte exeunti probabiliter attribuitur. Et satiras antecedentes prima excepta ante quintam eodem quo traduntur ordine scriptas esse viri docti nobis persuaserunt. Quo tamen tempore hic liber absolutus et editus sit, cum prologus et epilogus nec non aliae quoque satirae certis temporis notis careant, ex libro altero colligendum est. Alterius autem libri satira tertia annum 721 sibi vindicat. Nam Agrippam, qui eo anno aedilitate functus sumptuosis operibus neque minus ludis et spectaculis magnificentissimis populi plausum tulit teste Dione 49, 43, adhuc in munere esse docet v. 185: scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu. Eiusdem libri satira prima etiam ante id tempus composita est. Sed huius satirae quae sit ratio paulo plenius explicare liceat, quia infra ad eandem causam recurrendum est. Hanc enim satiram poeta prologi munere fungi voluit. Quam rem ita instituit, ut alteram satirarum seriem indicet. Trebatio, qui poetae suadet, ut ad alias res canendas se convertat, obsistit, nam me pedibus delectat claudere verba. — Lucili ritu v. 28. 29.

Respicit praeterea v. 19/20 quanto rectius hoc, quam tristi laedere versu — Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem ad libri prioris satirae octavae versum 11: Pantolabo scurrae Nomentanoque nepoti et indicat v. 83/84: sed bona si quis — iudice condiderit laudatus Caesare? Octavianum priorem librum legisse et laudasse. Itaque ex huius satirae argumento intellegitur, eam tempore quoque primam satirarum libri alterius et anno forte 720/1 compositam esse. Jam revertamur ad nostrum propositum. Ex eis quae de tempore libri alterius disputavimus sequitur, librum priorem ante annum 721 editum esse. Accuratius fortasse id tempus definitur eo, quod in satiris huius libri nullum temporis vestigium annum 719 excedit, ita ut anno fere 720 ineunte publici iuris factus esse videatur.

Satirae deinde libri alterius annis 721, 722, 723 compositae et anno forte 723 exeunte collectae et editae esse videntur, quia nulla temporis nota eum annum superat.

Jam cum Horatius epodo 17 v. 39 scriberet: sive mendaci lyra-voles sonari, de lyricis carminibus pangendis cogitasse videtur. Ac primum quidem de trium priorum carminum librorum temporibus quaerimus, cum constet librum quartum ex longo demum intervallo prioribus additum esse. Quantum ex certis indiciis, quae in his carminibus observantur, cognoscimus, Horatius non ante annum 723 in eisdem componendis versatus est. Neque certa indicia annum 730 vel 731 excedunt. Coniunctim autem hos tres libros editos esse, libri primi carmen primum et libri tertii carmen tricesimum, quae prologum et epilogum totius corporis agnoscimus, docent. Idem carminum collocatio confirmat. Poetam autem haec carmina anno fere 731 collegisse et emisisse, ex epistola praecipue I 13 colligitur. Poeta enim ea epistola Vinnio mandat, ut Augusto tradat signata volumina, librorum fasciculum, carmina quae possint oculos auresque morari Caesaris, quibus tres priores carminum libros significari cum plerisque viris doctis putamus. Et argumentis satis certis probatur, hanc epistolam

scriptam esse post annum 730 sed ante mensem Octobrem anni 732.

Videmus igitur, Horatium turbatis et asperis temporibus et ipsum animo turbulento et exasperato acribus iambis et satiris scribendis deditum, deinde, sedatis rebus publicis fortunaeque ipsius acerbitate in patroni potentis et benevolentis familiaritate oblivioni data, mente paulatim pacata iocosa lyra convivia, proelia virginum cecinisse. Provectiore autem aetate his ludicris positis Musae severiori se addixit et ad epistolas componendas se convertit, quarum naturam ipse significat, cum de se profitetur epistola I 1, 11: quid verum atque decens, curo et rogo et omnis in hoc sum. Atque huic poesis generi poeta ab anno fere 730 incubuisse censendus est, quia nullum temporis indicium exstat, quo aliqua epistola superius tempus sibi vindicet. Anno autem 734 epistolarum librum priorem editum esse docet ultima epistola, quae epilogi munere fungitur. Versu enim 26 aetatis suae annum quadragesimum quintum indicat. Itaque intervallo inter mensem Decembrem anni 733 et eundem mensem anni 734 haec epistola scripta est.

Post hoc tempus Horatius otio frui voluisse videtur, quod mirum videri non debet in viro, quem annum quadragesimum aetatis degentem iam de senectutis molestiis infirmaque valetudine querentem audimus c. III 14, 25; epist. I 7, 4; I 8, 7. Et Maecenati, qui ad nova carmina pangenda eum inducere volebat, negat epistola I, 1, 4: non eadem est aetas, non mens. Attamen aliquot annis post eum iterum lyricis studiis deditum invenimus. Postquam enim poetae ab Augusto a. 737 carmen saeculare componendum mandatum est, denuo cum aliis carminibus lyricis tum victoriis laudibusque Augusti eiusque privignorum lyra sua canendis operam dedit. In quibus carminibus scribendis, quantum ex certis temporum indiciis cognoscimus, per annos 737—740 occupatus fuit. De quibus temporibus conferatur Vahlenus in „Monatsberichte der Akademie der Wissenschaften zu Berlin“ 1898 S. 692 ff.

In eadem disputatione Vahlenus tempora quoque epistolarum libri alterius definivit. Qui vir doctus epistolam ad

Augustum anno 740, ad Florum anno 736, ad Cn. Calpurnium Pisonem eiusque filios post mortem Vergilii sed ante carmen saeculare scriptam esse censet. Has quoque epistolas Horatium ipsum collectas edidisse, etsi non constat, ordo tamen indicare videtur.

Jam transeamus ad alteram praefationem.

Bellis Mithridaticis Romani usque ad fines Parthorum progressi sunt. L. Licinius Lucullus et Cn. Pompeius amicitiam et foedus cum eis fecerunt. (cf. App. Syr. 48, Mithrad. 104; 87, Flor. I, 40, I 46). Pompeius autem Mithradate et Tigrane superatis superbius et iniuste eos tractavit (cf. Dio 37, 3; App. Mithr. 104, 105). Praeter alias iniurias Corduenen, quam antea pacto Parthis concesserat, Armeniis, qui tum Romanorum socii facti erant, addixit. Parthi vi armorum anno fere 698 eam provinciam recuperare conati sunt (cf. Justin. 42, 2,6). Ex quo tempore Romani Parthos hostes habuerunt. Accidit praeterea, ut Mithradates, Parthorum rex, propter crudelitatem regno expulsus Romanos arcessiverit (cf. Dio 39, 56). Quam occasionem A. Gabinius, Syriae praefectus, libenter arripuit et statim exercitum Euphraten traduxit (cf. Dio 39, 56). Sed eodem tempore a Pompeio ei mandatum est, ut in Aegyptum proficisceretur (cf. Dio 39 57, App. Syr. 51). Gabinio successit anno 700 M. Licinius Crassus, Syriae proconsul. Is non minus divitiarum quam gloriae cupidus aestate anni 700 Euphrate traiecto exercitum in Mesopotamiam contra Parthos duxit. (cf. Dio 40, 12, App. bell. civ. 2, 18; Flor. I, 46). Qua in terra prospere ei res successit incolarum animis magna ex parte a Parthis abalienatis neque Parthorum exercitu satis parato. Victoriam tamen non statim persecutus est, sed exercitum in Syriam hiemandi causa reduxit. (cf. Dio 40, 13). Primo conatu, tam prospero et facili, perfecto Crassus cupidine et spe vere insequenti Parthos plane devincendi flagrabat. Hierapolis et Hierosolymorum templorum thesauris direptis magnum paravit exercitum septem legionum, quattuor milium equitum, totidem sagittariorum et funditorum. Sed Parthi

quoque exercitum parabant. Qui cum Crassum per Mesopotamiam invasurum esse putarent, maiorem exercitus partem Surena duce ibi posuerunt, alteram contra Armenios duxerunt, ne ab iis Romani adiuvarentur. Primum eo tempore exercitus Romanus cum Parthico congressus est. Quare de Parthorum exercitu et eorum pugnandi ratione afferre liceat, quae Justinus narrat 41, 2, 5—9: ‚Exercitum maiorem partem servitiorum habent. Hos pari ac liberos suos cura et equitare et sagittare magna industria docent.. Comminus in acie pugnare aut obsessas expugnare urbes nesciunt. Pugnant aut procurrentibus equis aut terga dantibus; saepe etiam fugam simulant, ut incautiores adversus vulnera insequentes habeant... Plerumque in ipso ardore certaminis proelia deserunt ac paulo post pugnam ex fuga repetunt, ut cum maxime vicisse te putes, tunc tibi discrimen subeundum sit.‘ Etiam Dio 40, 15 refert, maximam exercitus partem equites sagittis armatos fuisse. Itaque pugnae futurae exitus maxime ex loco, ubi exercitus congrederentur, pendebat. In qua re factum est, ut Crassus omnino ex Parthorum votis ageret. Abgarus enim, Edessae princeps, Romanorum amicitiam simulans ei nuntiavit, Parthos parvo tantum exercitu in Mesopotamia relicto fugam parare, ut se suaque in Scythas et Hyrcanos conferrent. Itaque victoriae quam celerrimae cupidus exercitum in vastam Mesopotamiae plantiem duxit. (cf. Dio 40, 20; Plut. Crass. 21. 22). Parthi consulto pugnam vitarunt, dum exercitus Romanus longe ab Euphrate in campos patentes venisset. Abgarus, cui Crassus confidebat, Romanis itineris dux erat. Ad Balissum autem flumen sex milia infra Carrhas Romanos deseruit et ad Parthos transiit. Ibi enim Parthi pugnare volebant. Et magna Romanorum clades facta est anno 701 die nono mensis Junii (cf. Dio 40, 22 sqq; Plut. Crass. 23 sqq; Liv. ep. 106; App. bell. civ. 2, 18; Velleius Pat. 2, 46, 4; Flor. I, 46; Justin. 42, 4, 4). Legiones Romanae Parthorum sagittis obrueban-

tur; quotiescunque autem acies Romana impetum in illos faciebat, celeriter equos vertebant. Publius Crassus, Crassi filius, Parthorum fugae fallacis nescius mille trecentis equitibus, quingentis sagittariis, octo militum gravis armaturae cohortibus longe ab exercitu eos prosecutus cum omnibus praeter quingentos, qui vivi capti sunt, occisus est. Ipse Crassus magna exercitus parte occisa nocte Carrhas confugit. Ibi tamen non mansit, sed iterum planitiem ingressus est, ut in Armeniam se reciperet. Parthi, ne Romani in Armeniae montes effugerent, pactum et amicitiam se facere velle simularunt. Quorum fraude deceptus Crassus, qui Surenam convenerat, occisus est. (cf. Dio 40, 26. 27). Exercitus Romanus de salute desperans Parthis se dedidit, perpauci fuga salutem petiverunt. In ea autem expeditione plus viginti milia Romanorum occisi, decem milia capti sunt. Praeterea Parthi multa signa militaria ceperunt.

Intestinae autem discordiae Parthos impediverunt, ne victoriam persequerentur. Quo nihil optatius cadere poterat Romanis, quorum ipsorum res publica annis insequentibus bellis civilibus turbata erat.

Sedatis rebus publicis C. Julius Caesar statim Parthos ulcisci voluit. Magni tamen apparatus, quos iam ad id bellum fecerat, morte imperatoris irriti facti sunt (cf. Suet. vita Divi Julii 44, vita Augusti 8; Flor. 2, 13; App. bell. civ. 2, 110). Itaque Parthi non solum iusto diutius inulti manserunt, sed alteram etiam Romanis cladem attulerunt.

Q. Labienus, qui olim tribunus militum in exercitu Bruti fuerat, Oroden, Parthorum regem, impulit, ut anno 714 exercitum Pacoro, regis filio, duce in Syriam mitteret. Decidius Saxa, Syriae praefectus, Parthorum invasionem non exspectans facile victus est. Magna excercitus parte occisa Saxa ipse manum sibi intulit (cf. Dio 48, 24. 25; Liv. epit. 127; Flor. 2, 19). Tota Syria praeter Tyrum urbem, quae in insula sita impetum defendere poterat, Parthorum facta est. Syria subiecta Pacorus Palaestinam invasit, Labienus alteri exercitui Parthico praefectus Asiam provinciam occupavit. Itaque per duos fere annos 714, 715 Parthi Syriam

et magnam Asiae partem obtinebant. Antonius discordiis intestinis in Italia retentus legatis suis auxilium mittere non potuit.

Rebus autem inter principes Romanos ad tempus saltem compositis anno 715 P. Ventidius Bassus exercitu in Asiam missus est. (cf. Dio 48, 40 sq.) Qui Labienum ex Asia expulit et subsidiarios Parthos, priusquam cum Labieno se coniunxissent, in monte Tauro superavit. Labienus Ciliciam petens fuga exceptus et necatus est. Pari felicitate usus est Ventidius contra Parthos in finibus Ciliciae et Syriae, ita ut anno 715 exeunte Syria Romanis recuperata fuerit. Anno denique insequenti Pacorum, qui denuo Syriam invaserat, apud Gindarum die nono mensis Junii cum magna exercitus parte occidit. Ne tamen Parthos in ipsorum terra aggrederetur et Crassi cladem ulcisceretur, ab Antonio, qui gloriae eius invidebat, impeditus est (cf. Dio 49, 21 Liv epit, 128; Velleius 2, 78 1; Frontin. 1, 6 Flor. 2, 19, 5; Justin. 42, 4, 10). Magnum tamen populi plausum et triumphum die 27 mensis Novembris anni 716 meruit. Non inutile videtur quaerere, quomodo factum sit, ut Ventidius tam feliciter contra Parthos pugnaverit. Videbimus enim Horatium hanc rem tangere. Quare audiamus Florum, qui in epit. 2, 19, 5 Parthos a Ventidio superatos esse dicit ‚non sine consilio ducis, qui simulato metu adeo passus est hostem castris succedere, donec absumpto iactus spatio adimeret usum sagittarum.' Similiter Frontinus in strategematum l. 2, 2: ‚Ventidius adversus Parthos non ante militem eduxit, quam illi quingentis non amplius passibus abessent, atque ita procursione subita adeo se admovit, ut sagittas, quibus ex longinquo usus est, comminus applicitus eluderet.'

Perincommode accidit Romanis, ut Antonio orientis res commissa esset. Nam cum exercitus magnus et optimus ei in Asia esset, celeri et efficaci consilio destitutus, dum cum Cleopatra luxuriaretur, tempus ultioni aptum neglexit. Apud Parthos enim iam anno 717 discordiae civiles exortae erant,

cum Phraates IV, qui Orodi successerat, crudelissime regnaret. Nobiles quidam, qui eius insidias evitare poterant, ad Romanos confugerunt; in quibus potentissimus Monaeses. Antonius tamen nihil contra Phraaten suscepit neque permisit, ut legati aliquid moverent. Sibi ipsi enim victoriae speratae gloriam reservare volebat. Anno demum 718 aestatis tempore iam fere elapso exercitum per Armeniam, ubi equites Armenios sibi coniunxit, in Mediam Atropatenen duxit. Interim Phraates, qui periculum praesenserat, Monaesen sibi reconciliaverat (cf. Dio 49, 24; Plut. Ant. 37 sqq). Jam initio expeditionis calamitas accidit. Cum enim Antonius ipse itinere accelerato ad Phraartam, Atropatenae caput, progressus esset, Oppius Statianus, qui duabus legionibus impedimenta subvehebat, a Monaese oppressus et cum omnibus militibus occisus est (cf. Dio 49, 25; Velleius 2, 82, 2). Simul Artavasdes, Armeniae rex, cum equitibus suis in patriam rediit. Antonius, quamquam saepius feliciter pugnabat, tamen eventum maioris momenti assequi non potuit. Neque pactiones ei successerunt. Condicionem enim, ut signa militaria olim et tunc capta redderent, Parthi prorsus respuerunt (cf. Dio 49, 26); promiserunt tamen, se exercitum Romanum redeuntem non esse impugnaturos. Quo promisso non steterunt, sed perpetuis insidiis et proeliis Romanos persecuti sunt. Itaque Antonius in ea expeditione viginti milia peditum, quattuor milia equitum, universa impedimenta, multa signa militaria amisit (cf. Dio 49, 26 sqq.; Liv. epit. 130; Velleius 2, 82, 3; Frontin. strat. 2, 13, 7; Flor. 2, 20; Justin. 42, 5, 3). Post eam cladem Antonius, quamquam anno insequenti novum exercitum contra Parthos parare videbatur, a bello Parthico prorsus abstinuit (cf. Dio 49, 31).

Nolo praetermittere hoc loco rem ad Armenios pertinentem, quae cum Antonii clade connexa est. In interpretando enim versu 27 epistolae duodecimae libri prioris ad eam recurrendum est. Dixi iam, Artavasden, Armeniae regem, initio expeditionis exercitum Romanorum deseruisse. Quare Antonius ei valde succensebat et eum auctorem cladis suae putabat. Anno 721 in Armeniam ingressus quasi contra Parthos pugnaturus regem dolo cepit et in Armenia circumduxit. Armenii filium Artavasdis natu maximum, Artaxen, regem sibi constituerunt, qui tamen ab Antonio victus ad Parthos fugere coactus est. (cf. Dio 49, 39. 40). Non recte hanc rem Josephus ant. 75, 4, 3 referre videtur, qui Artaxen cum patre Alexandriam deductum et inde elapsum regem factum esse dicit. (cf. Prosopographia imperii Romani I, p. 153). Parthis autem auxiliantibus Artaxes in regnum paternum reductus est. (cf. Dio 39, 44. Plut. Ant. 53). Romanos, qui in Armenia superfuerant, occidi iussit (cf. Dio 51,16). Anno denique 734 Augustus Tiberium in Armeniam misit, ut Tigranen, Artaxis fratrem, quem Alexandria capta secum Romam duxerat, regem Armeniae faceret. (cf. Momms. in comm. ad mon. Ancyr, p. 112). Tiberio appropinquante Artaxes ab Armeniis necatus est.

Infelicissime igitur Romani rem Parthicam gesserunt. Frustra sperabant fore, ut Antonius eos ulcisceretur. Nova autem spes Romanis exstitit, postquam Octavianus unicus rerum arbiter factus est. Mirum igitur non debet videri, quod poetae illius aetatis, interpretes votorum populi Romani, ubi Caesaris laudes canunt, Parthos imprimis celebrant. Inter quos Horatium excellere videbimus. Sed hoc loco Parthorum res domesticas, in quibus Octavianus saepius versatus est, paulo plenius narrare debemus.

Phraates IV, qui periculi tempore regem mitem se praebuerat, remoto periculo in priorem crudelitatem relapsus anno 719 seditione orta regno expulsus et Tiridates rex constitutus est (cf. Dio 51, 18; Justin. 42. 4. 5). Rex fugatus anno 724 exeunte Scytharum auxilio in patriam rediit, Tiridates ad Romanos in Syriam confugit. (Sequimur in hac re Mommsenum, qui in commentario ad monumentum Ancyranum p. 136 sqq. Justinum, qui Phraaten anno demum 728 rediisse narrat, errare censet.) Phraates ad Octavianum in Asia morantem legatos misit, ut Tiridaten sibi traderet. Qui tamen regis voluntati non obtemperavit, sed Tiridaten in Syria degere iussit, haud dubie eo consilio, ut ille motus in vicina Parthia excitare pergeret. (cf. Dio 51, 19.) Et re vera a Tiridate

incursionem factam esse, colligitur ex Isidoro Characeno, qui in ‚Mansionibus Parthicis' cp. 1 narrat, Phraaten uxores suas interemisse, ne a Tiridate caperentur. In eadem incursione Tiridates filium Phraatis rapuisse videtur (cf. Justin. 42, 5) quem ad Augustum tum temporis in Hispania bellum gerentem anno 728 vel 729 duxit. Anno deinde 731 Phraates legatos Romam misit, ut filium recuperaret simulque ut Tiridates sibi traderetur. Eodem tempore Tiridates a senatu petivit, ut regnum Parthicum sibi permitteretur, sed precibus nihil assecutus est. Phraati autem filius remissus est ea condicione, ut captivos et signa militaria Romanis erepta restitueret. (cf. Dio 53, 33; Justin. 42, 5) Phraates tamen ea pactione non stetit. Anno demum 734, cum Augustus, ut orientis statum ordinaret, exercitu in Syriam ingressus Tib. Claudium Neronem in Armeniam misisset, Phraates exercitu Romano tam propinquo deterritus captivos et signa militaria remisit. (cf. Dio 54, 8; Suet. vita Augusti 21, vita Tiberii 9, Mon. Ancyr. V. 40. Liv. ep. 141; Velleius 2, 91; Flor. 2, 34. Justin. 42, 5, 11). Post id tempus inter Romanos et Parthos diutius pax fuit. Discidium tamen quoddam factum esse anno 745 ex eo colligitur, quod tum Phraates quattuor filios obsides Romam misit. (cf. Monum. Anc. 6, 3—6; Suet. Aug. 43).

Nunc iam ad Horatii verba, quibus Parthorum res tangit, interpretanda aggredimur.

Epod. 7, 9.

In epodo septimo inde a versu secundo queritur Horatius: p a r u m n e . . f u s u m e s t L a t i n i s a n g u i n i s, . . u t s e c u n d u m v o t a P a r t h o r u m s u a — u r b s h a e c p e r i r e t d e x t e r a? Quibus verbis Parthos facit optantes, ut Romani bellis civilibus ipsi sibi perniciem pararent. Manifestum est, poetam in universum quidem cogitare de inimicitiis, quae inter Parthos et Romanos erant. Nimii tamen videntur, qui statuunt, Parthis tale votum attribui non potuisse, nisi iam a Romanis victi fuissent. Nam ex eo tempore, quo eis persuasum erat, fore ut sibi contra Romanos pugnandum esset, iure, etiam antequam omnino res

ad arma venisset, optare poterant, ut Romani discordiis interirent. Deinde nemo negaverit, post cladem Crassianam eos Romanorum impetum exspectare debuisse et sicut Florus II 18,3 dicit, c i v i l e s p o p u l i R o m a n i d i s c o r d i a s l a e t o s a c c e p i s s e. Nolo tamen negare, eosdem, cum proelio Romanis inferiores discessissent, eo magis Romanis motus domesticos precatos esse. Sed id maxime agimus, ut intellegatur, ex his verbis, si de tempore huius carminis quaeritur, nihil esse repetendum. Quodsi ex certis indiciis hic iambus certo tempori attribuitur, licet fortasse quaerere, num poeta aliquod factum in mente habuerit, quod Parthorum malevolentiam in Romanos augere potuisset. Examinemus igitur temporis notas, quae in hoc carmine observantur.

Ex primis verbis: q u o q u o s c e l e s t i r u i t i s a u t c u r d e x t e r i s — a p t a n t u r e n s e s c o n d i t i? primum discimus, bellum civile i n c i p e r e; deinde quia enses dicuntur c o n d i t i, cognoscimus, iam antecessisse bellum civile', quo finito concordia inter Romanos restituta videbatur. Quae indicia cum pro ratione illorum temporum satis vaga sint, interpretes pro suo quisque arbitrio alius de alio bello civili cogitavit. Sic Kirchnerus et Frankius hoc carmen scriptum esse sibi persuaserunt bello Actiaco ineunte. Ne tamen iis assentiamur, carminis ingenium dissuadet. Maecenatis enim amicus, Octaviani partium fautor tempore quo Octavianus contra adversarium bellum movebat, non debebat quaerere: q u o q u o s c e l e s t i r u i t i s? Kiesslingius de anno 716, quo bellum Siculum ortum est, cogitare mavult, quod eo tempore Parthi propter clades anno 715, 716 a Ventidio sibi allatas iustiorem causam habuerint, cur optarent, ut Roma bellis civilibus interiret. Quod argumentum etsi non probamus, concedendum tamen est, alia indicia in eo carmine huic tempori non repugnare. Sed certam hanc opinionem non dicet, qui eadem indicia etiam in bellum Perusinum anno 713 exardescens quadrare non neglexerit. Itaque ex carmine ipso quaestio de compositi carminis tempore solvi non potest. Ne tamen hanc rem prorsus in dubio relinquamus, apte fortasse iambum decimum sextum cum nostro contendemus. Recentiores

enim interpretes consentiunt, eum ad bellum Perusinum referendum esse. Scriptus autem est aperte eo tempore, quo bellum in summo ardore erat. Et vix credibile est, quae est natura eius carminis, poetam postea alio bello civili ineunte carmen septimum composuisse. Itaque carmen septimum initio belli Perusini scriptum esse satis probabiliter statuere videmur. Et apte poterat illo tempore poeta Parthos facere optantes, ut Romani bellis civilibus interirent, quia eis erat timendum, ne Romani cladem Crassianam ulciscerentur.

Sat. II 1, 14.

Satirarum libri alterius satiram primam scriptam esse post bellum Actiacum, anno quidem 724, et versu 10: aude Caesaris invicti res dicere et v. 13 sqq.: neque enim quivis horrentia pilis — agmina nec fracta pereuntes cuspide Gallos — aut labentis equo describit volnera Parthi certo probari, interpretes recentiores sibi persuaserunt. Invicti enim nomine Octavianum ornari non potuisse, antequam Antonius et Cleopatra devicti et exstincti fuissent, iudicat Frankius. Cui tamen assentiri non possumus. Nam cum invictus recte dicatur, qui non est victus, iure iam antea, anno imprimis 718 S. Pompeio superato, poeta Caesarem eo nomine honorare poterat, praesertim cum illa victoria teste Dione 49, 14 sq maximae Caesari tribueretur gloriae. Itaque ex hac voce certum temporis indicium non repetendum est.

Neque propter verba: neque quivis.. labentis equo describit volnera Parthi de anno 724 cogitandum esse concedimus. Et in hac quoque re Frankium errare putamus, cum admonet ad verba volnera Parthi: „ea vix dubitari poterit, quin ad annum 724 pertineant, quippe quo Octavianus ab Aegypto per Syriam et Asiam minorem profectus et subditorum omnia negotia et primum Parthica composuit.“ Noluerim in eandem abiisse sententiam Mewesium, qui in editione quarta Orelliana Frankii rationem probatam magis etiam firmare studet, cum poetam res eo anno gestas nimis extulisse docet. Non recte, nam ut poetam in illis rebus

superlatione quadam uti potuisse concedamus, velut non inepte posuisset, Parthos imperii Romano adiectos vel Romam eis iura dedisse; sed poeta qui Parthos, quamquam non nisi per legatos cum Romanis rem habuerant, pugna devictos describit, res gestas non in maius auxissse sed corrupisse censendus est. Negamus igitur Horatium his verbis ad annum 724 spectare.

Multo melius Ribbeckius in prolegomenis ad Vergilium p. 21, Horatium Parthorum volnera in mente habuisse iudicat, quae Ventidius eis anno 715—716 inflixerat. De cuius tamen opinionis veritate scrupulum iniicere potest, quod Trebatius poetam admonuit, ut res Caesaris invicti caneret. Quae difficultas quid valeat, ut recte perspiciatur, totius orationis sententiam indagemus necesse est. Poeta aperit Trebatio, artem suam, quam in satiris scribendis posuerit, ab hominibus reprehendi; itaque quaerit ex eo: quid faciam? Trebatius respondet: quiescas. Accuratius autem poeta in eum inquirit, num omnino a versibus faciendis abstinere debeat. Quod cum ille affirmet, repugnat, et se posse negat prorsus ab iis abstinere. Tum Trebatius ei suadet, ut saltem ad alias res canendas se convertat: aude Caesaris invicti res dicere. Attendamus accuratius ad haec verba. Trebatius non dicit simpliciter: aude Caesaris res dicere, sed aude Caesaris invicti res dicere, ita ut Caesaris res bello gloriose gestas poetae celebrandas commendet, quod etiam apparet ex eis, quae poeta Trebatium infra sibi respondenten facit: attamen et iustum poteras et scribere fortem. Negat poeta: cupidum vires deficiunt et simul prodit, qua de causa Caesaris laudes bellicas canere non possit: neque enim quivis horrentia pilis — agmina nec fracta pereuntes cuspide Gallos aut labentis equo describit volnera Parthi. Cuius orationis vim accipimus hanc: Non quivis potest canere res bellicas, proelia, caedes. Et ego in numero sum eorum, qui ab eiusmodi rebus plane abhorrent. Itaque non possum Caesaris laudes in rebus militaribus canere. Jam sequitur, exempla rerum bellicarum, quibus Horatius poetarum more hanc sententiam illustrat,

non necessario ad Caesarem referenda esse; quae potius pro suo arbitrio sed aptissime elegisse censendus est. Id enim ei erat agendum, ut res bellicas quam maxime horrendas depingeret. Et aptissime milites illos atroces et fortes profert, Gallos et Parthos, cum quibus proelia acerrima et maxime cruenta fieri solent. Licet tamen quaerere, num poeta, cum haec exempla poneret, ad certas res gestas fortasse respexerit. Quod ex verbis, quae exstant, non possumus diiudicare, quia saepius et diversis temporibus Romanis cum Parthis et cum Gallis res fuit gerenda; sed recurrimus ad ea, quae supra p. 3 de tempore huius satirae disputavimus, ubi probabile nobis visum est, eam anno 720 compositam esse. Et iam non temere putare videbimur, Horatium in mente habuisse iteratas Caesaris in Galliam expeditiones anno 715 (Dio 48, 20), anno 717 (Dio 48, 49), anno 720 (Dio 49, 38), praecipue expeditionem anni 717, quo Agrippa re gloriose gesta e Gallia triumphavit, et victorias, quas Ventidius a Parthis anno 715 et insequenti reportavit.

Sat. II, 5, 62.

De eiusdem libri satirae quintae origine disputantes duas temporis notas interpretes respicere solent, quae exstant in versu 62 et 63: t e m p o r e q u o i u v e n i s P a r t h i s h o r r e n d u s, a b a l t o d e m i s s u m g e n u s A e n e a, t e l l u r e m a r i q u e m a g n u s e r i t. Ac primum quidem temporis vestigium observatur in verbis, quibus Octavianus P a r t h i s h o r r e n d u s dicitur. Quibus tamen verbis viri docti vim prorsus contrariam attribuunt. Frankius enim, qui Grotefendi opinionem laudat, propter haec verba iudicat, hanc satiram scriptam esse a n t e q u a m Octavianus anno 724 rem Parthicam tetigisset, quod „eo tempore poeta Parthos iam prostratos et subactos dixisset.“ In his verbis, quibus ille sententiam suam confirmare studet, eundem errorem animadvertimus, quem iam supra ad verba ‚v o l n e r a P a r t h i‘ de satira prima disputantes refellimus. Kiesslingius contra, Mewesius, alii contendunt, poetam illud tempus spectare, quo Octavianus cum Parthis anno 724 rem habebat, quod tum re vera metum eis iniecisset. Et id quidem concedendum est, Octavianum anno 724 non inepte Parthis horrendum dici potuisse. Nam eo tempore et Romani iure sperabant, fore ut brevi infamiam, qua illi Romanorum nomen affecerant, deleret et Parthi ipsi eum metuebant, quod Phraates, qui per legatos eum adiit, satis demonstravit. Sed iudicium, quod poeta de Octaviano facit, non pendet, ex Parthorum aestimatione. Et Octavianus iure Parthis horrendus dicebatur, etiamsi Parthi eius potentiam nondum cognitam haberent neque eum metuerent. Etiam Romani ipsi ita de Octaviano iudicare poterant, antequam rem Parthicam aggressus esset. Immo cum illi haud dubie sperassent, fore ut gloriosius quid a Parthis reportaret, poetam his verbis aptius a n t e annum 724 usum esse putabimus. Attamen vix dubium potest videri, quin poeta p o s t victoriam Actiacam hoc modo locutus sit, cum antea orientis res ad Antonium pertinerent. Quod iudicium etiam confirmat altera temporis nota, verba dico, quibus Octavianus t e l l u r e m a r i q u e m a g n u s significatur. His enim verbis poeta Caesarem unicum rerum arbitrum praedicare videtur. Itaque hanc satiram post victoriam Actiacam, anno 723 compositam esse censemus.

C. I 2, 22. 52.

In carmine secundo libri primi carminum poeta duobus locis Parthos memorat, versu 22 et v. 52. Ac versu quidem 22 legimus: a u d i e t (i u v e n t u s), c i v i s a c u i s s e f e r r u m, — q u o g r a v e s P e r s a e m e l i u s p e r i r e n t. Poeta, qui epodo septimo ineunte bello Perusino querebatur, quod Romani iam tanto civium sanguine effuso arma in se verterent, ita ut, quod Parthi exoptarent, ipsi sibi perniciem pararent, nostro carmine de bellorum civilium caedibus recordatus factum esse dicit, ut cives in cives arma ferrent, quibus in hostes illos infestissimos uti deberent. Adhuc inultae sunt illae clades, quas Parthi Romanis annis 701, 714, 718 attulerant. Caesarem tandem ab eis vindictam sumpturum esse sperat poeta versu 52: n e u s i n a s M e d o s e q u i t a r e i n u l t o s. Facile intellegimus poetam his verbis de Parthis

cogitare. Et Mommsenus in commentario ad mon. Anc. p. 135 recte adnotat, Horatium sub Medorum nomine semper Parthos significare. Eadem Parthorum significatio observatur apud Propertium III 12, 11: neve tua Medae laetentur caede sagittae. Parthorum quae eo tempore fuerit condicio etsi poetae verba satis aperiunt, tamen, ut certo tempori hoc carmen attribuatur, non permittunt. Fortasse ex eo quod Octavianum eos puniturum esse sperat, non iniuria coniicimus, tum temporis Antonium iam superatum fuissse. Quam opinionem aliis indiciis firmari videmus. Finita sunt iam bella civilia, nam Mars nimis longo ludo satiatus dicitur v. 37 et interest iam populo Romano, qui scelera illorum temporum expiabit v. 41—44. Neque ita multo post pugnam Actiacam poeta hoc modo Octaviani laudes cecinisse putandus est. Anno enim 726 Caesar deorum templa restituenda curavit (cf. Dio 53, 2; mon. Anc. IV 17), ita ut post eum annum poeta non apte dixisse videatur: cui dabit partes scelus expiandi — Juppiter? Itaque errasse iudicamus G. Christium, qui in epicrisi fastorum Horatianorum p. 13 opinatur, Horatium initio carminis ad diluvium Tiberis et portenta terribilia anno 73½ facta (Dio 53, 33; 54, 1) spectare. Accuratius tamen huius carminis tempus definiri posse non putamus. Neque cum Kiesslingio facimus, qui propter nomen principis in versu 50: hic ames dici pater atque princeps annum 726, quo in senatu de restituenda vel libertate vel unius potestate agebatur, natalem esse sibi persuasit. Si enim huic voci talem vim tribuere volebat, non debebat neglegere quae adiecta est altera pater.

C. I, 12, 53.

In carmine I 12 canit Horatius Caesaris laudes versu 53 sqq: ille seu Parthos Latio imminentes — egerit iusto domitos triumpho — sive subiectos orientis orae — Seras et Indos — te minor latum reget aequus orbem.

Poetam de re futura loqui docet orationis conformatio: si egerit — reget nec non quod Seras et Indos inducit, quibuscum Augustus omnino bellum non gessit. Vaticinatur igitur, Augustum orientis gentes, Parthos imprimis, domiturum et summam inde gloriam sibi paraturum esse. Cuius victoriae gloria quo magis appareat, Parthos quos dicit Latio imminentes horribiliore depingit facie. Et haud dubie terror Parthicus propter iteratas et gravissimas clades apud Romanos erat permagnus. Itaque omnino ex mente populi Romani dicuntur graves Persae I 2, 22; III 5, 4; Medus infestus III 8, 19, horribilis Medus I 29, 4. Praeterea poeta triumphum, quem Augusto pollicetur, iustum esse dicit. Justus autem recte dicitur triumphus, si victoria ex omni parte perfecta est. Talis triumphus ex formularum sermone dicitur legitimus vel meritus, quod bellum confectum, fines imperii propagati, certus hostium numerus vel caesus vel captus est cf. Mommsen „Römisches Staatsrecht" I³ 133.

Quaerendum nobis est, quonam tempore poeta his verbis triumphum a Parthis reportandum in Caesaris laudes cecinerit. Verba ipsa certam temporis definitionem non admittunt. Adiuvamur autem in hac re versibus 45. 46: crescit occulto velut arbor aevo — fama Marcelli. Apparet enim, Marcellum, Octaviae filium, qui medio anno 731 Baiis praematura morte obiit, adhuc inter vivos esse. Accuratius etiam et sagaciter huius loci vim perspexit Hauptius in opusculis III 61, qui vir doctus ex Marcello laudato coniecit, carmen compositum esse anno 730 ad nuptias Marcelli cum Augusti filia celebrandas. Sunt tamen interpretes, qui contradicant, poetam eo tempore triumphum Parthicum non tanto hiatu canere potuisse. Sic Frankius hoc carmen anno 730 scriptum esse negat, quod non intellegat, cur poeta de Parthis, Seribus et Indis subiectis inania verba fundere maluerit, quam iusta principem laude ornare ob res in Hispania prosperrimo successu gestas.' Similiter iudicat Schuetzius, qui poetam inani uti laudatione dicit, si post triumphum mense Augusto anni 725 actum Parthis memoratis

Augustum laudare voluerit. Quare circumspiciamus, quid de hac re Horatius ipse et poetae aequales indicasse censendi sint.

Anno 727/8 canit Horatius carmine III 5,2: praesens divus habebitur — Augustus adiectis Britannis — imperio gravibusque Persis.

Idem anno fere 730 carmine I 19, 12: (Venus) nec patitur Scythas — et versis animosum equis — Parthum dicere.

Propertius anno fere 726 c. II 7, 13: unde mihi Parthis gnatos praebere triumphis? Hoc carmine poeta Cynthiam appellat, quam gaudentem facit, quod sublata sit lex de matrimonio, quae ne amantes divideret, timendum erat. Repetit, quod iam carmine antecedenti v. 41 amicae promiserat: nos uxor numquam, numquam diducet amica: — semper amica mihi, semper et uxor eris. Et legem istam omnino inutilem esse, pergit, quod se ipsum quidem attineat, qui procreare non possit filios, qui milites a Parthis victoriam et triumphum possent reportare: nullus de nostro sanguine miles erit v. 14.

Idem Propertius, quanti habuerit victoriam Parthicam speratam, ostendit carmine II 14, quod eodem fere tempore, post annum 725 sed ante annum 729, scriptum est. Summam gloriatur reportasse victoriam, quod Cynthia aliis repudiatis poetam receperit. Cuius quo magis efferat aestimationem, eam cum victoria Parthica comparat v. 23: haec mihi devictis potior victoria Parthis.

Carmine denique III 9, quod temporis spatio inter annos 729 et 732 intercedente compositum est, canit idem v. 53: prosequar et currus utroque ab litore ovantes — Parthorum astutae tela remissa fugae. A Maecenate, ut rebus grandioribus canendis vacaret admonitus renuit poeta, nam non sunt apta meae grandia vela rati v. 4 et ipsius Maecenatis exemplum, quem dicit v. 29 sqq: parcis et in tenues humilem te colligis umbras — velorum plenos subtrahis ipse sinus secutus de se ipso profitetur v. 35: non ego velifera tumidum mare findo carina: tuta sub exiguo flumine nostra morast. Non tamen plane se Maecenati adhortanti resistere velle dicit sperans, Maecenate duce ingenii sui vires auctum iri, ut possit vel Jovis arma canere v. 47. Sic aucto ingenio pergit v. 53: prosequar — Parthorum astutae tela remissa fugae. Quae verba Hertzbergius et alii non recte interpretantur, cum tela remissa dicunt esse quae non amplius contenduntur et diriguntur, et simul statuunt, poetam Parthos re vera fugientes describere. Spectat potius poeta ad Parthorum pugnandi morem, de quo supra verba feci. Quem morem saepius poetae tangunt, uti Propertius c. IV 3,66: subdolus et versis increpat arcus equis; Vergilius georg. III 31: fidentemque fuga Parthum versisque sagittis. Ovidius a. a. I 201: telaque, ab averso quae iacit hostis equo; et III 786: ut celer aversis utere Parthus equis; fast. V 591; quid tibi nunc solitae mitti post terga sagittae? cf. Hor. I 12,13. Videmus igitur Horatium ipsum et Propertium etiam post annum 725 carminibus suis Parthos calebrasse. Neque iusta afferri potest causa, cur Horatius anno 730 ex Parthis devictis et subiectis magnam gloriam non apte Augusto promiserit. Immo vero cum Augustus, ad quem anno fere 729 Tiridates confugerat, denuo impulsus videretur, ut rem Parthicam acrius persequeretur, aptissime poetam anno 730 triumphum Parthicum vaticinatus esse iudicandus est.

C. I 19, 12.

Tangit Horatius rem Parthicam in carmine I 19 versu 12: (Venus) nec patitur Scythas et versis animosum equis — Parthum dicere. Poeta Glycerae amore ardens profitetur, se nulli rei vacare, neque canere se posse Scythas et Parthos neque res leviores. Eo quod Scythas et Parthos non inter ea numerat, quae nihil attinent v. 14, indicare videtur, tum temporis eorum res satis dignas fuisse, quae carmine celebrarentur. Quae tamen

illorum condicio fuerit, quam poeta sibi canendam proposuerit, ex verbis ipsis non apparet. Mera igitur opinio et ea quidem temeraria iudicanda est, quam olim interpretes protulerunt, Horatium ad signa militaria anno 734 a Parthis reddita respicere. Quae falsa interpretatio profecta videtur ex verbis v e r s i s e q u i s. Si quis enim Parthos re vera fugientes dici statuerit, iam facilius sibi persuadebit, de anno 734 esse cogitandum. Quem errorem tamen vitabit, qui ad totam orationem animum advertere voluerit. Quis enim, cum poetam audit canentem v e r s i s **animosum** e q u i s P a r t h u m, non meminerit notissimum eorum pugnandi usum! Obstant igitur ipsa verba, ne illud tempus poetam in mente habuisse putemus.

Ex argumento tamen carminis annum natalem colligi posse censeo. Carmen enim II, 4 extremum: b r a c c h i a e t v o l t u m t e r e t e s q u e s u r a s — i n t e g e r l a u d o: f u g e s u s p i c a r i — c u i u s o c t a v u m t r e p i d a v i t a e t a s — c l a u d e r e l u s t r u m docet, Horatium annos fere quadraginta natum, anno 729, res venereas missas fecisse. Tempore autem, cum carmen III 19 scribebat, ante annum 731, quod ex eis, quae supra de carminum temporibus disputavi, probatur, iam aliquantisper Glycerae amore arsisse videtur ex versu 28: m e l e n t u s G l y c e r a e t o r r e t a m o r m e a e. Itaque nostrum carmen, quo initium huius amoris significat v. 2 sqq.: i u b e t m e S e m e l a e p u e r — e t l a s c i v a L i c e n t i a — f i n i t i s a n i m u m r e d d e r e a m o r i b u s — u r i t m e G l y c e r a e n i t o r, non ita multo post annum 729, anno fortasse 730, compositum esse iudicamus.

Et iam prope ad finem disputationis nostrae accessimus. Scythae enim anno 728/9 legatos Tarraconem ad Augustum miserunt. (cf. Dio 54, 9; Orosius 6, 21, 19). Eodem tempore Tiridates ad Augustum confugit. Praeterea recte monet Frankius, Horatium de Aelii Galli expeditione Arabica anno 729 facta tam magnifice loqui solere, ut Parthos quoque et Indos subactum iri dicat (cf. I 29, 4; 35, 31). Videmus igitur, Horatium non inepte dicere, se officio suo quodam modo deesse, quod Scythas et Parthos non canat.

C. I 21, 15.

In hymno in Apollinem et Dianam cantato poeta Apollinem precatur v. 13 sqq. h i c b e l l u m l a c r i m o s u m, h i c m i s e r a m f a m e m — p e s t e m q u e a p o p u l o e t p r i n c i p e C a e s a r e i n — P e r s a s a t q u e B r i t a n n o s — v e s t r a m o t u s a g e t p r e c e.

Interpretes nonnulli ex his verbis ad carminis tempus definiendum subsidii aliquid repetendum esse putabant. Frankius, qui hoc carmen ex argumento colligit propter ludos Actiacos anno 726 (Dio 53, 1) scriptum esse, contendit, Persarum et Britannorum mentionem facile ducere ad annum 726, quo Octavianus duos exercitus conscripserat eo consilio, ut alterum ipse contra Britannos duceret, alterum mitteret in Arabiam (Dio 53, 22). Interpres errasse videtur de anno huius apparatus bellici, qui anno demum insequenti factus est. Kirchnerus et Walckenaerius hoc carmen ad annum 732 referunt propter calamitates anni 731 et 732, quas poetam spectasse iudicant. Kiesslingius quoque ad confirmandam opinionem suam, qua putat hoc carmen ad ludos saeculares spectare in annum quidem 731 propositos sed protractos, calamitatum huius temporis admonet.

Quae sententiae ex omni parte certo fundamento carere videntur. Bellum, fames, pestis, quae gravissima civitati mala habentur, uti Cicero quoque indicat in Phil. I, 13: s i q u i a c c i d i s s e t g r a v i o r r e i p u b l i c a e c a s u s, s i b e l l u m, s i m o r b u s, s i f a m e s, f a c i l e p o s s e m d e f e n d e r e, poeta quovis tempore a populo Romano ut avertantur et in gentes hostiles vertantur optare poterat. Neque ullo verbo indicat, tunc temporis Romanos eiusmodi calamitatibus oppressos fuisse. Et poetam Parthis praesertim et Britannis haec mala imprecari, mirum non debet videri. Ne de Parthis verba faciam supervacanea, Britanni, contra quos iam anno 720 (Dio 49, 38) Octavianus bellum paraverat et dato tempore paraturus putabatur, si calamitatibus premebantur, omnino ex Romanorum votis fiebat. Neque argumentum carminis ad certum nos ducere potest tempus. Itaque quo tempore poeta hoc carmen composuerit, nobis plane incertum videtur.

C. I 26, 5.

Carmine I, 26 in laudem amici Lamiae composito poeta se Musis deditum quae extra se sint nihil curare profitetur v. 3 sqq.: quis sub Arcto — rex gelidae metuatur orae — quid Tiridaten terreat, unice — securus. Temporis indicia, quae in his verbis observantur, ab interpretibus varie explicantur. Quae dissensio ex duplici potissimum fonte proficiscitur. Primum enim alii interpretes unum alii duplicem metum a poeta significari contendunt. Deinde tempus, quo Tiridates terrore affectus fuerit, varie definitur. Diversis virorum doctorum opinionibus propositis, quomodo poetae verba accipienda esse videantur, explicabimus.

Frankius, qui unum agnoscit metum Tiridatis, poetam id tempus respicere iudicat, quo Phraates cum exercitu Scytharum appropinquabat, ut regnum recuperaret. Quod anno 729 factum esse ille Justini narrationi (42, 5) fidem habuit. De anno eum falli, docent ea quae Mommsenus de discrepantia quae est inter Dionem et Justinum disputavit in commentario ad mon. Anc. p. 135 sqq.

Qui vero duplicem metum a poeta poni iudicant, Romanos et Tiridaten metuentes significari statuunt. Sed ne hi quidem consentiunt. Massonius, quem sequitur Kirchnerus, alii, Tiridaten anno 731 metuisse affirmant, ne Phraati, qui legatos Romam miserat, traderetur. Et eodem tempore Romanos metuisse fingunt, ne Scythae, Phraatis socii, provincias Romanas invaderent. Cuius rei apud rerum scriptores nullum testimonium exstat.

Interpretes denique recentiores Tiridatis terrorem ad annum 724 referre solent et orae gelidae regem significari dicunt Cotisonem, Dacarum regem, quem Romani illo tempore metuebant. Anno enim 719 Octavianus, ut Cotisonem sibi sociaret, ei Juliam filiam desponderat et anno 720 sibi eius filiam in matrimonium petiverat. Quod tamen aspernatus Cotiso ad Antonii partes transierat (Dio 51. 22). Unde per bellum Actiacum Romani invasionem Dacarum timebant. cf. Momms. l. c. p. 130. Quem metum tangit Vergilius in georg. II 497: illum non flexit... coniurato descendens

Dacus ab Istro; Horatius sat. II 6. 53; num quid de Dacis audisti? et carmine III 6, 13 bellorum civilium tempora spectans: paene occupatam seditionibus — delevit urbem Dacus et Aethiops. Itaque concedendum est, poetam anno 724 Romanos Cotisonem metuere apte quidem potuisse dicere. Sed ne specie decipiamur, inspiciamus quam accuratissime poetae verba.

Poeta duas sententias ponit: quis sub Arcto rex gelidae metuatur orae et: quid Tiridaten terreat. Nullum exstat verbum, quo Tiridatis terror ad regem gelidae orae referatur. Itaque duas res a poeta significari non est quod negetur. Et quaeritur, priora verba: quis sub Arcto rex gelidae metuatur orae quo spectent. In qua re veremur, ne recentiores quoque interpretes periculosam divinandi viam inierint. Nam in ipsis verbis nihil inest, nisi: rex gelidae orae metuitur. Et quaerenti, quinam sint, a quibus metuatur, nisi a poetae verbis longius discedere volumus, respondebimus: sui vel gentes subiectae. Quae interpretatio omnino in sententiam huius loci quadrare videtur. Poeta enim, ut affirmet, se res externas, quae ad se nihil attineant, nihil curare, aptissime ponit: Nihil curo, quis sub Arcto dominetur. Cui etiam altera pars: quid Tiridaten terreat optime convenit. Restat, ut diiudicemus, quod tempus Horatius respexisse censendus sit, cum Tiridaten metuentem faceret. Nescimus, num re vera anno 731 Tiridates metuere debuerit, ne a Romanis Phraati traderetur. Quod quidem verisimile esse non facile dixeris, cum eius condicio Romae tum ea esset, ut teste Dione 53, 33 auderet orare, ut sibi regnum Parthorum permitteretur. Apte autem Scythae a Phraate arcessiti eum terruisse dicuntur. Itaque cum eius rei nuntius anno fere 725 ineunte Romam delatus esse potuerit, eo tempore hoc carmen compositum esse censemus. Idem tempus confirmat Lachmanni observatio, qui in epistola ad Frankium v. app. fast. Hor. p. 239 monet, in versu 11 hunc Lesbio sacrare plectro vocabulum in quarta versiculi syllaba desinere, quod cultis Horatii auribus nisi monosyllabum esset non satis fe-

cisse censendum sit. Quare ille vir doctus hoc carmen inter priora huius generis numerat Immo in hoc carmine primo omnium stropham Alcaicam adhibitam esse, verisimile facit versus 10: hunc fidibus novis (cf. Lachmannus al Lucretium p. 213.)

C. I 29, 3.

Certum temporis indicium praebet carmen I 29 versu 1—4: Icci, beatis nunc Arabum invides — gazis, et acrem militiam paras — non ante devictis Sabaeae — regibus, horribilique Medo — nectis catenas. Aperte hoc loco Aelii Galli expeditio Arabica significatur. quam anno 729/30 factam esse Mommsenus docet in commentario ad mon. Anc. p. 106. Quae expeditio tum prima a Romanis in eam regionem facta verbis: non ante devictis Sabaeae regibus comprobatur. Et tempore quidem apparatus bellici hoc carmen ab Horatio scriptum esse, docet versus 2 acrem militiam **paras** et versus 15 mutare **tendis**. Cum tamen ille exercitus in Arabiam missus sit, quaeritur, quo iure poeta addiderit versu 4 horribilique Medo nectis catenas. Responderit aliquis, poetam, qui ironia quadam Iccium, iuvenem adhuc litteris (v. 10) non armis deditum, prosequi videtur, quo magis eam augeret, adiecisse: horribilique Medo nectis catenas. Quam opinionem tamen ne arripiamus, suadet carmen I 35. 29, de quo infra dicendum erit et locus Propertianus II 10, 3 sqq.; quem paulo accuratius inspiciamus. Canit Propertius v. 3: iam libet et fortes memorare ad proelia turmas — et Romana mei dicere castra ducis; pergit v. 12: magni nunc erit oris opus — iam negat Euphrates equitem post terga tueri — Parthorum, et Crassos se tenuisse dolet: — India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho — et domus intactae te tremit Arabiae. Poetam idem respicere tempus, quod Horatius in nostro carmine, docent ultima verba, quibus Arabia intacta dicitur, nempe quam hucusque exercitus Romanus non est ingressus, sicut Plinius N. H. 6. 32: Romana arma solus in eam terram adhuc intulit Aelius Gallus, equestri ordine. Apparatum autem huius expeditionis Propertium significare, probat verbum tremit. Nam tremere eius est, qui periculum sibi imminens videt. Neque omnino poeta hanc expeditionem iam finitam in Caesaris laudes vertere poterat, quippe cuius exitus infelicior esset. Post diem autem XVI mensis Januarii anni 727 hoc carmen scriptum esse, appellatio Auguste v. 15 demonstrat. Accuratius tamen hoc carmen propter apparatum expeditionis Arabicae annum 728 sibi vindicat. Cui tempori etiam convenit Indorum legatio Tarraconem ad Augustum missa, quam rem poeta v. 15 verbis: India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho satis auxisse videtur (cf. Orosius 6, 21, 19), nisi fortasse de Indis idem indicabimus, quod de Parthis statuendum erit. Eo igitur tempore, quod agnoscere maxime nostra nunc interest, Parthorum condicionem poeta describit verbis v. 13: iam negat Euphrates equitem post terga tueri — Parthorum, et Crassos se tenuisse dolet, quibus Parthos in suis finibus se non amplius tutos sentire significat. Jam, inquit, abstinent a fuga illa fallaci, iam dolet eos, quod Crassi milites adhuc apud se retinent. Timuisse igitur dicit eos, ne exercitus Romanus hostiliter fines suos ingrederetur. Et iam concludimus, poetas ex Romanorum exspectatione cecinisse, exercitum tum temporis paratum ultra fines Arabiae etiam usque ad Parthos et Indos progressurum esse.

C. I 35, 31.

Carmine I, 35 poeta Fortunam precatur v. 29: serves iturum Caesarem in ultimos — orbis Britannos et iuvenum recens — examen Eois timendum — partibus Oceanoque rubro. Parthi quidem hoc loco aperte non memorantur. Verba tamen Eois partibus ad eos potissimum spectare, omnes interpretes consentiunt. Quae enim tempora poeta respexerit, facile in-

tellegitur ex eo, quod tunc temporis expeditionem in Britanniam et in orientem paratam esse indicat. Et contra Britannos quidem bellandi consilium saepius cepit Octavianus. Primum anno 720 in Galliam profectus eo consilio, ut in Britanniam traiceret, Pannoniorum rebellione exorta ab expeditione Britannica abstinuit (Dio 49, 38, cf. Horatius epod. 7, 7; Vergilius georg. I, 30, III, 25 sqq.); rursus expeditionem parabat anno 727 (Dio 53, 22) et anno 728 (Dio 53, 25), sed in Gallia ordinanda retentus est. Itaque factum est, ut Horatius saepius triumphum Britannicum vaticinatus sit (cf. carmen I, 21, 15; III, 4, 33; 5, 3). Nostro loco, quod tempus in mente habuerit, docet expeditio, quam eodem tempore in orientem paratam esse dicit. Jam compertum habemus, anno 728 exercitum Aelii Galli paratum esse, quem poeta verbis i n v e n u m r e c e n s e x a m e n ... t i m e n d u m O c e a n o r u b r o significat. Quem exercitum etiam ulterius in orientem, contra Parthos praesertim, profecturum esse, quod verba indicant: E o i s t i m e n d u m p a r t i b u s, Romanos sperasse iam supra diximus.

C. II 1, 31.

Carmine II, 1 Horatius Asinii Pollionis laudes canit, qui Antonii partibus relictis a rebus publicis prorsus abstinens inde ab anno 715 bonis artibus ac disciplinis operam navabat. Arti poeticae exercendae et quidem dramaticae potissimum incumbebat, historias quoque bellorum civilium scribebat. Atque haec Pollionis studia, quae in enarrandis bellis civilibus ponebat, cum Horatius celebrat, calamitatum illorum temporum recordatus queritur v. 29 sqq.: q u i s n o n L a t i n o s a n g u i n e p i n g u i o r — c a m p u s s e p u l c r i s i n p i a p r o e l i a — t e s t a t u r a u d i t u m q u e M e d i s — H e s p e r i a e s o n i t u m r u i n a e? Bella civilia magis etiam deploranda censet poeta, quod hostes infestissimi Italiae ruinam audierint et ex Romanorum malis laetitiam ceperint. Tempore, quo poeta hoc carmen scribebat, bella civilia iam finita fuisse intelligitur ex versu 5: a r m a n o n d u m e x p i a t i s u n c t a c r u o r i b u s et versu 7: i n c e d i s p e r i g n e s — s u p p o s i t o s c i n e r i d o l o s o. Ex quibus verbis simul discimus, non multum temporis post victoriam Actiacam elapsum esse, quia poeta, ne Octavianum offenderet, cruores nondum expiatos dicere non debebat. Itaque eodem fere tempore, quo carmen I, 2 compositum est, nostrum quoque scriptum esse probabile est.

C. II 2, 17.

Certum sibi vindicat tempus carmen II, 2 ex versu 17: r e d d i t u m C y r i s o l i o P h r a a t e n — d i s s i d e n s p l e b i n u m e r o b e a t o r u m — e x i m i t v i r t u s. Cognitum enim habemus, Phraaten anno 724 exeunte Scythis adiuvantibus in regnum esse restitutum. Postquam huius rei nuntius in Italiam pervenit, anno 725, hoc carmen videtur compositum esse. Nam hoc exemplo apte uti poeta non poterat, nisi factum etiam tum recens esset. Si tamen interpretes nonnulli hoc carmen ad annum 730 referunt, hoc fit, non quia ipsum factum, quod poeta tangit, incertum est, sed quia, uti iam supra monui, viri docti de tempore, quo Phraates in patriam redierit, dissentiunt.

C. II 9, 21 sq.

Horatius Augusti laudes pleniore cecinit ore carmine II, 9 v. 18 sqq.: n o v a — c a n t e m u s A u g u s t i t r o p a e a — C a e s a r i s e t r i g i d u m N i p h a t e n, — M e d u m q u e f l u m e n g e n t i b u s a d d i t u m — v i c t i s m i n o r i s v o l v e r e v e r t i c e s, — i n t r a q u e p r a e s c r i p t u m G e l o n o s — e x i g u i s e q u i t a r e c a m p i s. Olim interpretes vulgo statuebant, poetam his verbis ad annum 734 spectare. Quam opinionem a C. Frankio et interpretibus recentioribus reiectam G. Christius in epicrisi fastorum Horationarum p. 16 suam facit cum contendit, ‚rem in clara luce positam esse neque argumentandi subtilitate indigere'. Attamen labore verum rationibus investigandi supersedere non posse nobis videmur. Sed priusquam quae tempora Horatius respexisse putandus sit, quaerimus, statuamus necesse est, quas res omnino posuerit, in qua re interpretes, utpote de conformatione

orationis dissentientes, discedunt. Sunt enim, quibus placeat, poetam dixisse: cantemus Augusti nova tropaea: Niphaten ac Medum flumen, utrumque minores volvere vertices et Gelonos equitare exiguis campis. Quam sententiam non probamus. Primum enim Niphates mons Armeniae (Strabo 11. 522), non fluvius agnoscendus est. Etsi fortasse verum esset, in Armenia fuisse fluvium ex monte Niphate ortum et ipsum Niphaten appellatum, non dubitamus tamen affirmare eum parvum fuisse, ita ut inepte cum Euphrate sit collatus et ineptius fortasse minores volvere vertices dictus. Deinde tropaea pertinent ad victoriam. Illis tamen temporibus neque cum Armeniis neque cum Parthis Augustus armis congressus est. Quare intellegimus orationem hanc: cantemus nova Augusti tropaea et Niphaten, Medumque flumen minores volvere vertices et Gelonos equitare exiguis campis. Qua in orationis forma non est offendendum, quae eadem legitur apud Propertium II, 1, 19: non ego Titanas canerem, non veteres Thebas nec Pergama, nomen Homeri, Xerxis et imperio bina coisse vada; item III, 3, 7; 4, 18. Et iam quaerimus, quaenam poeta respexerit tempora.

Ex appellatione Augusti v. 19 apparet, hoc carmen post diem XVI mensis Januarii anni 727 scriptum esse.

Nova Augusti tropaea non possumus non ad victorias a Cantabris anno 728/9 reportatas referre.

Cetera indicia satis vaga videntur. Voce Niphates poeta rem Armeniam tangit. Ibi inde a temporibus belli Actiaci rex erat Artaxes, Romanis infestissimus. Augustus tamen nihil ante annum 734 contra eum suscepit, nisi quod Artavasden, Mediae regem, Romanorum amicum, qui ab Artaxe ex Media expulsus erat, in Armenia minore collocavit. cf. Mommsenus in comm. ad mon. Anc. p. 111. Fortasse ea occasione se Romanis aliquo modo submissiorem ostendit.

Quam accuratissime ad verba, quibus poeta Parthorum condicionem describit, attendamus necesse est. Ab iis enim potissimum interpretum error profectus est. Neque inutile videtur, praemonere, res, quae ad orientis gentes et imprimis ad Parthos pertinent, a poetis in Augusti laudem saepius

nimis auctas esse. Sic Vergilius ad annum 724 respiciens canit georg. IV, 559: haec super arvorum cultu pecorumque canebam — et super arboribus, Caesar dum magnus ad altum — fulminat Euphraten bello, victorque volentes — per populos dat iura. Propertius anno 728 cecinit c. II, 10: iam negat Euphrates equitem post terga tueri — Parthorum et Crassos se tenuisse dolet. Nihil tamen illis temporibus Caesar fecerat, quod tanto hiatu dignum fuisset. Nostro loco cum Horatius Medum flumen, intellegimus Euphraten, gentibus additum victis dicit, Parthos Romanorum imperio subiectos significat. Poetam veram rerum condicionem, quocunque tempore haec scripta sunt, neglegere manifestum est. Et Horatius ipse hanc superlationem restringere videtur additis verbis: minores volvere vertices, quibus submissiores describit Parthos, uti Vergilius Aeneid. l. VIII, 726: Euphrates ibat iam mollior undis. Neque negari potest, poetam hoc modo loqui potuisse, si rem anno 724 gestam respiceret. Temeritatis autem notam non effugiet, qui poetam signa militaria anno 734 a Parthis restituta significare statuerit.

Gelonos denique sive Sarmatas dicit Horatius intra praescriptum exiguis equitare campis. Anno 724 M. Crassus contra Dacos aliasque gentes finitimas bellum gessit (Dio 51, 23 cf. Horat. III, 8, 23) et triumphavit de iisdem mense Julio anni 727. Fortasse eo bello Gelonos quoque persecutus est. Ab eo autem tempore usque ad annum 738 Romani contra Scytharum gentes exercitum non duxerunt. Sed mon. Anc. V, 51—53 Augustus dicit: nostram amicitiam petiverunt per legatos Bastarnae Scythaeque et Sarmatarum qui sunt citra flumen Tanaim et ultra reges, Albanorumque rex et Hiberorum et Medorum. Sarmatarum legationem memorat praeterea Suetonius Octav. 21, Florus II, 34; Justinus 42, 5. De tempore tamen non constat. Secundum Orosium 6, 21 venerunt Scytharum legati ad Augustum Tarraconem anno 728/9. Potuit igitur fieri, ut Augustus Gelonis

per legatos amicitiam populi Romani petentibus certos fines, quos ne transirent, praescripserit.

Videmus quam incertae sint magna ex parte res, quas nostro loco Horatius tangit. Id tamen disputatione mea effecisse videor, ut intellegatur, verba poetae non obstare, quominus rationibus universis, quas initio de carminum Horatianorum temporibus proposuimus, confidentes et nova Augusti tropaea ad bellum Cantabricum referentes hoc carmen anno fere 730 scriptum esse statuamus.

C. II 13, 17.

Arboris casu paene oppressus docet poeta carmine II, 12 ab inprovisa morte hominem nunquam tutum esse, quantumvis a periculis caveat. Inter pericula autem ab hominibus caute vitata censet v. 17 sq.: miles sagittas et celerem fugam — Parthi, catenas Parthus et Italum robur. Quibus poeta periculum, quod Romani a Parthis et Parthi ex sua parte a Romanis timent, describere videtur. Militem enim Parthos timentem Romanum a poeta intelligi, ex eo colligimur, quod huic Parthus Romanos timens opponitur. Et Romanos quidem timentes facit sagittas et celerem fugam Parthi. Spectat his verbis aperte ad Parthorum pugnandi rationem, quam Romani, sub Crasso praecipue et Antonio, sibi perniciosam experti erant. Catenas autem quas a Parthis timeri ponit, in mente habuisse videtur, quibus vincti milites capti in triumpho via sacra descendunt, ut epod. 7, 8 legimus Britannus ut descenderet — sacra catenatus via. Italum deinde robur acies copiarum pedestrium Romanorum dici videtur, quae opponitur Parthorum celeribus equitibus. Quod robur Parthi praecipue pugnis contra Ventidium pugnatis senserant. Haec exempla a poeta allata ad compositionis tempus definiendum nihil conferre, apparet. Neque alia temporis vestigia in hoc carmine exstant, cuius tamen annus natalis ex carmine III 8, quod anno post, anno 725, compositum esse infra videbimus, colligitur.

C. III 2, 3

Libri tertii sex priorum carminum, quae sententiarum quodam vinculo coniuncta, quippe quibus poeta morum pristinorum restitutionem commendet et celebret, paucorum annorum spatio per annos 726—728 composita esse videntur, nobis secundum, tertium, quintum, sextum, in quibus res Parthica tangitur, tractanda sunt. Ac carmine quidem secundo Horatius priscam duritiem corporis et temperantiam victus cultusque civibus tuis commendans canit versu 3: (puer) Parthos vexet eques metuendus hasta.

Ex quibus verbis Kirchnerus, cum de anno 733, quo Augustus exercitu in Asiam profectus est, cogitandum esse praecipit, iniuste certi temporis indicium repetiit. Nihil enim ex iis discimus, nisi Parthos, quo tempore haec scripta sunt, inultos fuisse. Neque Frankio assentimur, qui statuit, verba v. 21 sqq.: virtus repulsae nescia sordidae — intaminatis fulget honoribus — nec sumit aut ponit secures — arbitrio popularis aurae annum 726 sibi arrogare, quod eo anno Octavianus de imperio deponendo deliberaverit, quod tamen a populo exoratus retinuit. Quae ratio prorsus reiicienda est. Primum enim Frankius a vera rerum memoria aberravit. Octavianus enim eo anno non imperium deponere, sed extraordinaria potestate se abdicare voluit et re vera abdicavit. (cf. Momms. in comm. admon. Anc. p. 146). Deinde etsi verum esset, quod Frankius statuit, inepte haec verba hoc loco a poeta posita essent, quibus Caesarem non laudasset sed vituperasset.

Attamen anno 726 hoc carmen fortasse recte attribui concesserim et id quidem propter carminis argumentum, quod optime quadrat in illud tempus, quo Octavianus moribus emendandis operam dabat.

C. III 3, 43.

Tertium huius libri carmen propter Junonis verba v. 43: triumphatisque possit — Roma ferox dare iura Medis olim ab interpretibus falso ad annum 734 relatum esse, omnes fere nunc auctores consentiunt. Et vix

est quod moneamus, anno 734 Parthos minime dici potuisse triumphatos vel subiectos, cum appareat poetam facere Junonem Romanis futurum triumphum promittentem. Versus tamen 11: quos inter Augustus recumbens docet, hoc carmen non ante annum 727 compositum esse.

C. III 5, 4.

Quinti quoque huius libri carminis verba v. 2 sqq.: praesens divus habebitur — Augustus adiectis Britannis — imperio gravibusque Persis olim interpretes ad annum 734 referebant. Etiam Kirchnerus in quaestionibus Horatianis p. 31 § 59 hanc opinionem arripuit et Bentleium ludificari censet lectorem, cum statuat, hoc carmen ante annum 734 exaratum esse. Et Christius in epicrisi fastorum Horatianorum p. 16 iudicat, non sine probabilitate aliquem dicere posse, quo tempore hoc carmen compositum sit, Crassi milites a Phraate iam redditos fuisse. Sibi quidem aliam sententiam magis arridere profitetur, quam Jovis appellatione tonantis v. 1 probari sibi persuasit. Augustum enim anno 732 Jovis Tonantis aedem in Capitolio consecrasse refert Dio 54, 4. Quam aedem ab hominibus et nominis et speciei novitate commotis admodum frequentatam esse, idem auctor tradit l. c.. Christius igitur censet, Horatium Jovis tonantis mentione iniecta tam populi favorem quam Augusti gratiam captasse. Quam ratiocinationem satis infirmam esse non negabit, qui poetam alio quoque tempore hac appellatione apte uti potuisse concesserit. Et cum Augusto quidem in terra regnante aptissime Juppiter tonans confertur.

Ne tamen de anno 732, minus etiam de anno 734 cogitemus, et verbis ipsis, a quibus disputatio nostra proficiscitur et Reguli oratione impedimur. Poetam enim de Parthis subiiciendis tamquam de re futura loqui, cum temporis futuri forma habebitur docet tum verba adiectis Britannis, in quos ne exercitum quidem Augustus duxit. Cui tandem probabile videbitur, poetam putasse, se Augusto et populo gratum facere, si captivis redditis caneret v. 29: nec vera virtus, cum semel excidit — curat

reponi deterioribus, vel si anno 732 pactione de reddendis captivis iam perfecta Regulum faceret loquentem v. 25: auro repensus scilicet acrior — miles redibit flagitio additis — damnum. Immo vero Reguli oratio necessario eo ducit, ut statuamus, haec verba a poeta scripta esse, cum etiam spes esset, Augustum captivos a Parthis vi armorum subiectis et domitis recuperaturum esse. Itaque, cum Augustus appelletur v. 3, hoc carmen inter annos 727—731 compositum esse probatur.

Et quaeri tandem potest, num poeta cum Britannos et Parthos subiectum iri vaticinaretur, expeditiones fortasse respexerit, quae anno 727/8 in Britanniam et orientem parabantur. Quod fieri potuisse sane nemo negaverit. Et fortasse non inepte indicium inde repetimus, quo hoc carmen anno fere 728 compositum esse putemus. In eo tamen Frankius errasse iudicandus est, quod eo tempore cum Horatius scriberet: **praesens** divus **habebitur** Augustus Caesarem Roma afuisse, statuit. Jovi enim in coelo regnanti opponitur Augustus, qui in terra versatur, uti similiter dicitur c. IV 14, 43: tutela praesens et epist. II 1, 15: praesenti tibi maturos largimur honores.

C. III 6, 9 sqq.

Certo licet dicere, quid Horatius respexerit verbis, quae exstant v. 9 sqq. carminis sexti libri tertii: iam bis Monaeses et Pacori manus — non auspicatos contudit impetus — nostros et adiecisse praedam torquibus exiguis renidet. Anno enim 714 Pacorus, Orodis filius, (cf. p. 8) L. Decidium Saxam, Syriae legatum, vicit; Monaese autem duce a. 718 (cf. p. 10) Parthi Antonii duas legiones cum Oppio Statiano ad internecionem ceciderunt. Ad tempus tamen huius carminis definiendum verba: et adiecisse praedam torquibus exiguis renidet eo tantum nos adiuvant, ut intellegamus, Parthos adhuc inultos praedam Romanam possidere.

Ex ipsius tamen carminis argumento interpretes eius originem ad annum 725 vel 726 ineuntem referunt. Et hoc car-

men non post annum 726 scriptum esse iure coniicitur ex v. 1 sqq.: delicta maiorum inmeritus lues — Romane donec templa refeceris — aedisque labentes deorum et — foeda nigro simulacra fumo. Ad eum enim annum pertinent, quae teste Dione 53, 2 Augustus refert in mon. Anc. IV 17, 18: Duo et octoginta templa deorum in urbe consul sextum ex decreto senatus refeci, nullo praetermisso, quod eo tempore refici debebat.

C. III. 8, 19.

Complures temporis notas praebet carmen III 8, in quibus v. 19: Medus infestus sibi luctuosis dissidet armis. Quibus Parthi, Romanorum hostes infestissimi, discordes in se ipsos arma tulisse dicuntur. Ex rebus eorum initio breviter adumbratis cognitum habemus, illis temporibus non semel discordias et motus civiles apud Parthos exstitisse. Anno 724 Phraates vi armorum Tiridaten regno eiecit, qui deinde anno fere 728 frustra regnum recuperare conatus est. Itaque, ut diiudicare possimus, utrum bellum intestinum Horatius respexerit, ad alia temporis vestigia recurrendum est, quae exstant in verbis v. 16 sqq.: mitte civiles super urbe curas — occidit Daci Cotisonis agmen — servit Hispanae vetus hostis orae — Cantaber sera domitus catena, — iam Scythae laxo meditantur arcu — cedere campis.

Poetam verbis: mitte civiles super urbe curas ad Italiae et urbis Romae curam Maecenati ab Augusto, dum ipse abesset, commissam spectare, omnes interpretes consentiunt. Attamen eis discedendi causa non deest. Quantum enim certis testimoniis memoriae traditur, Maecenas bis Caesare absente urbi praefuit, primum bello Siculo anno 718 (cf. Dio 49, 16), iterum tempore belli Actiaci ab anno 723 usque ad aestatem anni 725 (cf. Dio 53, 1). Saepius etiam Maecenatem hoc munere functum esse, sunt qui contendant, quamquam Tacitus ann. 6, 11 refert, post bella civilia hanc curam non nisi consularibus commissam esse. Sed iam videmus, tempus, quo Maecenas secundo urbi praeerat, bene convenire cum bello, quod Phraates anno 724 exeunte contra Tiridaten movit, ita ut certam memoriae fidem relinquere nolimus, nisi aliis indubitatis rationibus cogimur. Et iam cetera inspiciamus indicia.

Pergit poeta: occidit Daci Cotisonis agmen. De Dacorum rege Cotisone iam supra p. 24. 31 verba feci et praeter alia narravi, anno 724/5 M. Crassum rem contra eum feliciter gessisse (cf. Dio 51, 23).

Sed rerum concordiam solvere videtur v. 21: servit.. Cantaber sera domitus catena. Cantabri primum devicti anno 725 a Statilio Tauro (cf. Dio 53, 25), deinde anno 728/9 ab Augusto post varias rebelliones anno demum 734 ab Agrippa perdomiti sunt. Plerisque olim interpretibus Horatius ad annum 734 spectare visus est, quia Cantabrum dicit **sera** domitum catena. Frankius recte perspiciens, cetera quae hoc loco exstant indica hunc annum respuere, de anno 729 cogitare maluit, quo anno Cantabri denuo devicti Romanis domiti visi essent. In qua re ne specie abripiamur, dispiciendum est, quaenam vis insit in verbis: sera domitus catena. Potest autem hostis sero domitus dici duplici de causa, aut quia post varios conatus tandem subiectus est, aut quia adversarius eius iam diu exspectaverat et desideraverat, ut subiiceretur. Quod si acciderit, etiam hostis primo impetu devictus sero domitus dici potest. Quod re vera in Cantabris locum habere videtur, uti Livii (28, 12) verba indicant: Hispania prima Romanis inita provinciarum, quae quidem continentis sunt, postrema omnium, nostra demum aetate ductu auspicioque Augusti Caesaris perdomita est. Et recte de hac re vir doctissimus L. Lachmannus epistola ad Frankium monuit: ‚Cur eos non dicat iam dudum debuisse populo Romano servitutem. Num Livius aliter 28, 12? Num aliter de Parthis non modo sed Indis Propertius III 4, 5?: sera sed Ausoniis veniet provincia virgis.' Itaque iam anno 725 poeta dicere poterat Cantabrum sera domitum catena.

Scythae denique dicuntur laxo meditari arcu cedere campis. Quod recte Orellius interpretari videtur: ‚Jam in eo est, ut se recipiant inde, quo temere erant progressi.' Meminimus, Horatium dicere II 9: Gelonos intra praescriptum exiguis equitare campis, ubi quae inter Scythas et Romanos tum temporis intercesserint, plane ad liquidum perduci non posse, monuimus. Etiam de nostro loco profitetur Mommsenus in comm. ad mon. Anc. p. 134: ‚Certam interpretationem rerum scriptores non suppeditant.' Idem vir doctus Sarmatas sive Gelonos utramque Tanais ripam tenentes a poeta significari iudicat, quibuscum Crassus fortasse anno 724/5 rem habuerit.

Quodsi igitur certis temporis indiciis fidere volumus, hoc carmen anno 725 compositum esse non negabimus.

C. III 29, 27.

Carminis III 29 tempus interpretes definiri volunt v. 25 sqq.: Tu civitatem quis deceat status — curas et urbi sollicitus times, — quid Seres et regnata Cyro — Bactra parent Tanaisque discors. In qua re tamen non una via progrediuntur. Kirchnerum et Frankium moverunt praesertim verba: quid regnata Cyro Bactra parent, ita tamen ut Kirchnerus poetam ad annum 733 spectare iudicaverit, quo Romani Augustum exercitum in Parthos ducturum esse exspectabant, Frankius autem cogitare maluerit de anno 729, quo Phraates, quae est Frankii opinio, Scythas contra Tiridaten arcessiverat. Hirschfeldero in editione Orelliana legationes Indorum et Scytharum, quae anno fere 729 ad Augustum missae sunt, verbis: quid Seres parent Tanaisque discors significari videntur. Videmus alium aliam temporis notam arripere et in suam vertere sententiam. Sed ad totius loci vim minus attendisse videntur. Quam ut recte perspiciamus, sententiarum ordinem persequamur necesse est.

Poeta Maecenatem invitat, ut ad se in villam concedat. Effugias, inquit, urbis fastidium et fervorem aestatis, mecum in villa simplicitate vitae agrestis et umbra fruaris. Missas

facias curas; nam deus vetat hominem futura curare: prudens futuri temporis exitum — caliginosa nocte premit deus v. 29 sq. Haec potissimum verba nos adducunt, ut Maecenatem antecedentibus futura curantem a poeta significari agnoscamus. Itaque intellegimus: tu curas, quis civitatis status in futuro esse debeat; tu sollicitaris, quid olim Seres, Parthi, Tanaitae parent. Quae sententia confirmatur etiam eo quod poeta Seres inducit, qui nunquam hostile quidquam contra Romanos susceperant et Tanaitas dicit discordes, quippe a quibus tum temporis nihil esset timendum. Quare poetam certas res gestas his verbis respexisse, prorsus negandum est. Itaque huius carminis tempus in incerto relinquendum est.

Ut in disputatione nostra eadem progrediamur via, quam Musa Horatiana permensa esse censetur, praetermissis nunc libri quarti carminibus ad locos nos convertimus, qui in epistolis libri prioris de Parthis exstant.

Epist. I 12, 27.

Epistolae duodecimae libri I tempus natale definitur versibus 25 sqq.: ne tamen ignores, quo sit Romana loco res: Cantaber Agrippae, Claudi virtute Neronis — Armenius cecidit ius imperiumque Phraates — Caesaris accepit genibus minor. Quorum indiciorum vim ut recte agnoscamus, attendendum est, poetam res novas, amico ab urbe absenti fortasse adhuc ignotas, referre. Unde sequitur, res narratas ad unum idemque tempus pertinere, ipsamque epistolam proximo tempore postquam nuntius earum rerum Romam perlatus sit, compositum esse.

Et Cantabri quidem ab Agrippa anno 734 perdomiti sunt. (cf. Dio 54, 5. 11)

Apud Armenios anno fere 722 Artaxes rex constitutus est Romanis invitis (cf. Dio 49, 24). Anno autem 734 Augustus orientis statum ordinaturus in Syriam profectus Tiberium, qui Artaxen regno expelleret, in Armeniam misit. Sed armis non opus fuit. Tiberio appropinquante Armenii Artaxen necarunt. (cf. Dio 54. 9; Josephus 15, 4, 3; Suetonius

Aug. 21; Velleius 2, 94, 122). Quam rem narrat Augustus in mon. Anc. V 24—28: Armeniam maiorem interfecto rege eius Artaxe cum possem facere provinciam, malui maiorum nostrorum exemplo regnum id Tigrani, regis Artavasdis filio, nepoti autem Tigranis regis, per Tib. Neronem tradere, qui tum mihi privignus erat. Hanc igitur rem poeta in Tiberii laudes satis auxisse videtur.

Eodem tempore Phraates, qui pactione anno 731 cum Romanis facta non steterat, Romanorum invasionem timens milites captivos et signa militaria remisit (cf. p. 12). Mirum non debet videri hanc rem a Romanis, poetis imprimis, qui Augustum Parthis devictis captivos et signa amissa recuperaturum esse, iam diu exspectaverant, auctam et exaggeratam esse. Quod nostro quoque loco observatur, ubi Phraates ius imperiumque Caesaris genibus minor accepisse dicitur. Dubium enim non potest esse, quin poeta his verbis annum 734 respexerit, cum aliae res narratae hunc annum sibi vindicent. Neque cum Bentleio pro Phraates restituemus Tigranes, in quem haec verba optime quidem quadrant. Nam rem Armeniam poeta iam tetigit verbis: Claudi virtute Neronis Armenius cecidit nec probabile videtur, rem Parthicam omnino a poeta esse neglectam. Itaque iudicamus, poetam re vera posuisse, Phraaten ius imperiumque Caesaris genibus minorem accepisse. Sunt sane, qui, ut huius orationis vim minuant, ius imperiumque accipere non esse: in ius dicionemque recipi, sed: imperio parere, sibi persuadeant, Non feliciter tamen laudant Tacitum in hist. II 19: Ipse postremo Spurinna ceteros Placentiam reduxit minus turbidos et imperia accipientes. Neque omnino quidquam proficiunt, cum ne sic quidem adulatio abesset. Phraates enim non ipse ad Romanos venit, ut se ad Augusti pedes prosterneret eique supplicaret. Sed legati eius signa militaria tradentes fortasse devotionis orientalis signis usi sunt coram Tiberio, qui Augusti loco captivos et signa recepit. Praeterea Phraates per eosdem legatos amicitiam populi Romani petivisse videtur, velut in mon. Anc. legitur V 40—42: Parthos trium exercitum Romanorum spolia et signa reddere mihi supplicesque amicitiam populi Romani petere coegi. Exstant etiam nummi in quibus Parthus genu flexus signum militare offert. (cf. Mommsenus in comm. ad mon. Anc. p. 126).

Neque alii poetae aequales laudibus Caesaris in hac re efferendis defuerunt. Sic canit Propertius IV 6, 79: hic referat sero confessum foedere Parthum, — ‚reddat signa Remi mox dabit ipse sua — gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas — ire per Euphraten ad tua busta licet! Maiore etiam ore hoc factum ab Ovidio memoratur fast. V 593: Parthe, refers aquilas; victos quoque porrigis arcus; trist. II. 227: porrigit arcus — Parthus eques timida captaque signa manu.

Dignum denique quod memoretur habemus, propter signa recepta Augusto arcum dedicatum esse in foro Romano, de quo conferatur Mommsenus in comm. ad mon. Anc. p. 125. 127.

Epist. I 18, 56.

Epistolam duodevigesimam paulo ante epistolam duodecimam scriptam esse, apparere videtur ex versu 55 sqq.: Cantabrica bella tulisti — sub duce, qui templis Parthorum signa refigit nunc. Quibus verbis id tempus significari censemus, quo Augustus in Asia degens a Parthis signa amissa reposcere vel a templorum postibus deripere putabatur. Christio autem in epicr. fast. Hor. p. 23. 24 cogitare placebat de anno 735 vel 736, quo tempore Augustus in aede Martis Ultoris Capitolina, eo anno dedicata, signa recuperata refixisset. Quam ille opinionem non inepte dicit suspicionem. Neque enim constat, illam aedem eo tempore dedicatam esse, cuius dedicationem Mommensus ad annum 734 refert (cf. comment. ad mon. Anc. p. 126). Praeterea, etsi refigendi notionem ancipitem esse fatendum est, oratio ipsa satis docet, nostro loco quae vis sit intellegenda. Ex Christii enim opinione poeta signa Romanorum tunc recuperata Parthorum signa dixisset, quod apte fieri non poterat. Et ipse Horatius c. IV 15, 7 signa illa dicit superbis po-

stibus derepta, ubi quid poeta cogitaverit, minime dubium est. Itaque etiam nostro loco eandem vim amplectimur. Praeterea satis mirum esset, si Horatius, quae eo tempore, quo Augustus in oriente aberat, maxime Romanorum animos movebant et ab omnibus exspectabantur, ne verbo quidem tetigisset, cum alii poetae aequales saepius in speratis Augusti eventibus morarentur. Sic Propertius iam inter apparatum expeditionis anno 732 victoriam Parthicam vaticinatur III 4 1: Arma deus Caesar dites meditatur ad Indos — et freta gemmiferi findere classe maris — magna, viri, merces, parat ultima terra triumphos: Tigris et Euphrates sub tua iura fluent: — sera, sed Ausoniis veniet provincia virgis: — adsuescent Latio Partha tropaea Jovi. Quibus poeta cum vel ultimas terrae partes triumphatas Augusto promittit tum maxime in triumpho Parthico depingendo moratur, quem deinceps amplius persequitur. Parthos nunc demum imperio Romano subiectum iri et in perpetua dicione Romanorum mansuros esse, vaticinatur: adsuescent Latio Partha tropaea Jovi. Victi et debellati Parthi Romanis arma tradent neque unquam recuperabunt. Sic Partha tropaea v. 6 non intellegimus Romanorum signa olim amissa tunc recuperata, quippe quae Latina Latio Jovi adsuescere non recte dicantur, ab Ovidio autem in fastis V, 590 recte significantur verbis: agnorunt signa recepta suos, sed arma Parthis devictis erepta; quo etiam ducit versus antecedens: sera, sed Ausoniis veniet provincia virgis; praeterea signa amissa poeta versu demum 9 tangit: Crassos clademque piate.

Ad idem tempus spectat Propertius c. III 5. 47: vos, quibus arma — grata magis, Crassi signa referte domum; item c. III 12, quod exercitu modo in orientem profecto compositum est. Et Lycotam cum exercitu Augusti iam in Asia morantem votis suis prosequitur c. IV 3, 67: tua sic domitis Parthae telluris alumnis — pura triumphantis hasta sequatur equos.

Vergilius quoque hanc expeditionem tangit in Aeneidos libro VIII v. 605: seu tendere (parant ad Indos — Auroramque sequi Parthosque reposcere signa.

Qui in carminibus tempore sequenti ab Horatio compositis exstant de Parthis loci, minoris sunt momenti, quippe qui ad carminum tempora definienda nihil conferant.

C. saec. v. 53.

Poeta, qui iam primo nuntio de signis restitutis magno hiatu hoc factum cecinerat epist. I 12, 27, carmine quoque saeculari anno 737 ore pleniore loquitur v. 53: iam mari terraque manus potentes — Medus Albanasque timet secures. Quibus annum 734 respexisse putandus est.

C. IV 5, 25.

Carmine IV 5 poeta Augustum, qui praeter Romanorum exspectationem diutius Roma aberat, precatur, ut mox redeat. Patriam interius pacatam etiam ab hostibus externis tutam esse dicit v. 25 sqq.: quis Parthum paveat, quis gelidum Scythen, — quis Germania quos horrida parturit — fetus, incolumi Caesare? quis ferae — bellum curet Hiberiae? Respicit poeta rem Parthicam anno 734 compositam, Scytharum legationem anno 728/9 in Hispaniam ad Augustum missam — cf. carmen saec. 55. 56: iam Scythae responsa petunt superbi nuper et Indi et c. IV 14, 41 infra; Suet. Aug. 21; Florus 2, 34, — deinde Drusi et Tiberii victorias anno 738 a Raetis et Vindelicis reportatas, Cantabros perdomitos ab Agrippa anno 734. Quae tamen indicia sola accuratam temporis definitionem non permittunt. Ex eo autem, quod Augustus, qui anno 738 in Sugambros profectus anno demum 741 a. d. IV non. Jul. rediit, iam diu absens neque brevi rediturus esse videtur, coniicitur, hoc carmen anno fere 739 exeunte vel 740 ineunte scriptum esse (cf. Vahlen. in Monatsber. d. Akad. d. Wissensch. z. Berlin 1878 p. 692 sqq.).

C. IV 14, 41.

Carmini decimo quarto huius libri, quo Drusi et Tiberii victorias a Raetis et Vindelicis anno 739 reportatas (cf. Dio 53, 22; Liv. epit. 136, Flor. 12, 4, Suet. Tib. 9) celebrat, Augusti quoque laudes inserit v. 40: te Cantaber non ante domabilis — Medusque et Indus, te profugus Scythes — miratur o tutela praesens — Italiae dominaeque Romae. Res hic narratas iam cognitas habemus. Ipsius carminis argumentum idem fere tempus sibi vindicat, cui antecedens attribuimus. De qua sententia nos deturbare non debet, quod Augustus v. 43 dicitur tutela praesens. Jam supra de carmine III 5 disputantes monuimus, non de propria corporis praesentia hoc esse intellegendum. Significat potius poeta, Augustum semper rebus Romanis adesse easque tueri.

C. IV 15, 6.

Carmine ultimo huius libri ipsius Augusti laudibus dedicato Augustum effert pacis et otii publici auctorem, quo principe prisci mores denuo valescerent, bonae artes efflorescerent Romanaque civitas vitae tranquillae commodis gauderet. Quibus laudibus inserit poeta v. 6 sq.: signa nostro restituit Jovi — derepta Parthorum superbis postibus. Signa Romana apud Parthos in regiae atrio affixa fuisse, sunt qui arbitrentur. Poeta tamen, ut epist. I 18, 56 docet, de templorum postibus cogitasse videtur, quos superbos dicere poterat templorum magnitudinem spectans vel Parthorum animos superbos significans. Verbis signa nostro restituit Jovi poeta etiam indicare videtur, signa illa Romam translata in Capitolio collocata esse in aede minore Martis Ultoris. Quod autem legitur in mon. Anc. V 42: ea autem signa in penetrali, quod est in templo Martis Ultoris, reposui, referendum est ad aedem maiorem Martis Ultoris in foro Augusto dedicatam anno 752 (Momms. in comm. ad mon. Anc. p. 126). In hanc aedem, quae proprie ad victoriam Philippensem pertinebat, signa quoque illa translata sunt.

Videtur hoc carmen compositum esse brevi postquam poeta Augusti privignorum laudes cecinerat, anno 740 (cf. Vahlenus l. c.)

Epist. II. 1, 112.

In epistolarum denique libri alterius epistola prima v. 112 iocatur poeta: invenior Parthis mendacior. Scriptam esse hanc epistolam anno 740, docuit Vahlenus in Monatsberichte der Akademie der Wissenschaften zu Berlin 1878 p. 688 ff. Saepius Romani Parthorum perfidiam experti sunt, Crassus anno 701, Antonius anno 718, Augustus anno 731. Fortasse etiam post annum 734 Parthi, de quibus Justinus 41, 3, 10 dicit: Fides dicti promissique nulla, nisi quatenus expedit, mendaces cogniti sunt. Sed memoriae nihil traditum est. Itaque incertum relinquimus, quid poeta his verbis respexerit.

Subsidiis usus sum his:

Bentley: Q. Horatius Flaccus ed 3ª 1869.
C. Brandt: Quaestiones Propertianae 1880.
G. Christ: Fastorum Horatianorum epicrisis 1877.
W. Drumann: Geschichte Roms in seinem Übergange von der republik. zur monarch. Verfassung 1844.
C. Franke: Fasti Horatiani 1839.
Fr. Grotefend: Schriftstellerische Laufbahn des Horaz 1849.
A. B. Hertzberg: Propertii elegiarum libri IV 1845.
Kirchner: Quaestiones Horatianae 1834.
A. Kiessling: Q. Horatius Flaccus 1890/95.
C. Lachmann: Propertius 1816.
Masson: Vita Horatii ordine chronologico delineata 1708.
„ Jani templum Christo nascente reseratum 1700.
J. May: Der Entwicklungsgang des Horaz 1883.
Th. Mommsen: Res gestae divi Augusti 1883.
„ Römische Geschichte 1889 ff.
„ Hermes XV p. 103 sqq.

Orellius: Q. Horatius Flaccus ed. IV 1886/92.
F. Paley: Propertii carmina 1872.
O. Ribbeck: Geschichte der röm. Dichtung 1892.
„ Prolegomena critica ad P. Vergilii Maronis opera maiora 1866.
F. Ritter: Q. Horatius Flaccus 1857.
H. Schneiderwirth: Die Parther oder das neupers. Reich unter den Arsaciden 1874.
H. Schütz: Q. Horatius Flaccus 1889.
Th. Streuber: Über die Chronologie der horazischen Dichtungen 1843.
J. Vahlen: Monatsberichte der Königl. Akademie der Wissenschaften zu Berlin 1878 S. 688 ff.
Verrall: Studies literary and historial in the Odes of Horace 1884.

Druck v. Th. F. Schemmel, Residenzstr. 15.

Sententiae controversae.

1. In Lucretii libro I v. 271 Marulli probo lectionem:
   ‚principio venti vis verberat incita pontum'.
   Codices praebent 1ª m.: cortus, corrector oblongi: tortus, quadrati: corpus.

2. Eiusdem auctoris l. IV v. 894 lego:
   ‚corpus ut ac navis velis ventoque feratur'.
   Traditur: corporis ut ac . . .

3. Thucyd. II 40, 2:
   ‚ἔνι τε τοῖς αὐτοῖς οἰκείων ἅμα καὶ πολιτικῶν ἐπιμέλεια, κα ἑτέροις πρὸς ἔργα τετραμμένοις τὰ πολιτικὰ μὴ ἐνδεῶς γνῶναι
   lectionem traditam ἑτέροις veram iudico.

4. Thucyd. II 42, 4:
   ‚ἐβουλήθησαν μετ' αὐτοῦ τοὺς μὲν τιμωρεῖσθαι, τῶν δὲ ἐφίεσθαι'
   Popponis coniecturam ἀφίεσθαι a plerisque interpretibus recentioribus receptam non probo.

5. In Hippolyti commentario in Danielem III, 6 legendum esse puto:
   ‚ἀλλὰ καὶ παῦτα ἐπίγεια ὄντα πρόσκαιρα τυγχάνει'.
   Traditur: ‚ἀλλὰ καὶ ταῦτα ἐπίγεια ὄντα ἔστιν καὶ πρόσκαιρα τυγχάνει'.

6. In Hippolyti homilia de antichristo cp. 59 lego:
   ‚ἀντλίαν δὲ φέρει μεθ' ἑαυτῆς ὡς τὸ λουτρὸν τῆς παλιγγενεσίας ἀνανεοῦν τοὺς πιστεύοντας'.
   Codex Hierosolymitanus et Ebroicensis legunt: ἀνανεοῦσα, codex Remensis: ἀνανεούσης.

Vita.

Adolphus Bernardus Steinmann natus sum in Guestphaliae vico Laer anno huius saeculi sexagesimo quarto die XVIII mensis Februarii. Patrem Bernardum et matrem Elisabeth e gente Bracht adhuc vivere gaudeo. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis imbutus sum in gymnasio Coesfeldensi. Maturitatis testimonium vere anni octogesimi quarti adeptus primum in academia Monasteriensi per annum studiis philosophicis et theologicis, deinde in lyceo Eystadiensi per annum studiis theologicis, tum in academia Monasteriensi per biennium eisdem studiis operam dabam. Vere anni octogesimi octavi presbyter ordinatus in seminario clericali Monasteriensi per annum doctrina theologica, quae ad curam animarum gerendam spectat, instructus sum. Medio anno insequenti munus rectoris scholae latinae Reesensis mihi mandatum est, quo munere examine pro rectoratu quod vocant absoluto usque ad annum nonagesimum quintum functus sum. Inde a vere eiusdem anni ad hoc tempus in universitate Berolinensi operam do studiis philologicis.

Doctrina et schola usus sum virorum spectatissimorum ordinis philosophici Monasteriensis: Hagemann, Niehues, Parmet, Stahl, Hüffer, Wüllner, Berolinensis: Diels, Hübner, Kirchhoff, E. Schmidt, Steinthal, Vahlen, Dessau, Kretschmer, Meyer.

Seminarii philologici, cui praeerant Kirchhoff et Vahlen, sodalis ordinarius per quinquies senos menses fui.

Omnibus his, qui me docuerunt, viris doctis, Kirchhoffio praecipue et Vahleno, gratias ago quam maximas.